








3 vols. in 1


The Original Edition

RELIQVIAE
ANTIQVAE
VRBIS ROMAE.





B. ab Overbeke inven: et delin. M. Pool sculp.



RELIQVIAE
ANTIQVAE
VRBIS ROMAE,

Quarum ſingulas

INNOCENTIO XI. ALEXANDRO VIII. & INNOCENTIO XII.
PP. MM.

diligentiſſime perſcrutatus eſt, ad vivum delineavit, dimenſus eſt, deſcripſit, atque in aes incidit


BONAVENTVRA AB OVERBEKE.

OPVS POSTVMVM

MICHAEL AB OVERBEKE

ſuis ſumptibus edi curavit.

TOMVS I.



AMSTELAEDAMI
excudit IOANNES CRELLIVS. Anno cIↃ IↃcc VIII.
CVM PRIVILEGIO.



EXPLICATIO TABVLAE DEDICATORIAE.

STA, LECTOR,

ET STVPENS INTVERE COLVMNAM,

NON TRAIANAM, NON ANTONINIANAM,

DE FICTIS POTIVS QVAM VICTIS

POPVLIS;

DE QVIBVS TRIVMPHVS, ANTE DEBELLATIONEM,

EST CONSPECTVS;

SED VERE HEROINAE

ANNAE REGINAE,

DEBITAM;

QVAE CLASSES HOSTIVM PROFLIGAVIT;

AD MAXIMOS EVROPAE FLVVIOS,

RHENVM, DANVBIVM, TAGVM, PADVM, SCALDIM,

TROPAEA STATVIT;

MVLTAS GENTES AB EXITIO LIBERAVIT,

MONSTRORVM DOMITRIX,

NOVA ASTRAEA,

REGNA ANGLIAE ET SCOTIAE

IN VNVM CORPVS COALESCERE IVSSIT.

COELO

COELO DELAPSVM ANCILE,

ANNA SEMPER AVGVSTA

COLVMNAM MERITIS DEBITAM
VVLTV IMPERII MAIESTATE DIGNO,
MAGIS QVAM OMNIA TROPAEA, ADORNAT.
ANTEIT VINDEX SCELERVM IVSTITIA,
HARPYIAS VIRVLENTAS, VIPERINAS
ICTIBVS FVGANS, CAEDENS, OCCIDENS.
COELVM ILLAE FRVSTRA VENENATIS VAPORIBVS
INFICERE TENTARANT;
DEMISSO E COELO FVLMINE PEREVNT,
DVM FAMA INTEREA RERVM GESTARVM
PER ORBEM LIBERATVM LATE SPARGITVR,
ATQVE EX EVROPA IN AMERICAM TRANSIT.
AMBITIONEM, FRAVDEM, AVARITIAM
SVB DOLOSIS LARVIS, IVRE COMMENTICIO, REBELLIONIBVSQVE
NIMIS DIV DOMINATAS,
EXPVLIT, DEPRESSIT, CONCVLCAVIT
SELECTA MANVS HEROVM,
IMPROBIS LABORIBVS HERCVLI PERSIMILIVM,
ORBEMQVE TERRARVM PROPE DISSILIENTEM
ITERVM CONNEXV ADAMANTINO FIRMAT.
REVIXIT FELICITAS PVBLICA,
AD PILEVM AB AVGVSTA REVOCATA;
VERO DEO OB LIBERATAM RELIGIONEM LITANS,
ABVNDANTIAM INTER ARMA SVMMAM
GRATO ORE PROFESSA;

POST

POST ARCTISSIMAM CONIVNCTIONEM

REGNORVM, ORDINVM, ANIMORVM,

QVAE DEBETVR

REGINAE ANNAE,

EI AETERNITATEM, QVAM MERITA EST, OFFERT;

NON VT CRVDELIBVS TYRANNIS,

QVI DE FAMA, APVD POSTEROS, BONA NON SECVRI,

COLOSSOS, PYRAMIDES, ARCVS TRIVMPHALES

EXSTRVI SIBI CVRARVNT,

QVAE MONVMENTA TEMPORIS EDACIS VIM

SVSTINERE NON POTVERVNT;

VT PVLCHRE HVIVS OPERIS TABVLAE DEMONSTRANT.

PERENNIORA ERVNT

ANIMIS GRATIS MORTALIVM INSERTA

ANNAE AVGVSTAE,

IVSTAE, AC BENEFICAE MONVMENTA;

CVI CERTATIM ADSVNT ET GRATIAS AGVNT

IN VNVM GENTIS VNIVS CONVENTVM

ADSCITI OMNES MAGNAE BRITANNIAE ORDINES,

PRAESVLES, NOBILES ET POPVLI ORATORES,

VERITATIS AC LIBERTATIS EGREGIA COLVMINA,

 LEGIO-

LEGIONVM VICTRICIVM BRITANNICARVM

SIGNIS CINCTA,

VNO ORE AETERNITATEM REGINAE PRAENVNCIANT;

VTQVE IN COELVM SERO REDEAT

DEVM OPTIMVM MAXIMVM,

QVO QVAM DIVTISSIME MAGNA BRITANNIA,

IMO ET TOTA EVROPA,

TVTELARI HOC SVO GENIO

FRVATVR, ORANT.

SERE-

SERENISSIMAE

AC POTENTISSIMAE

MAGNAE BRITANNIAE, FRANCIAE ET HIBERNIAE

REGINAE

ANNAE,

FIDEI DEFENSORI, &c. &c. &c.



CUM humani generis primi parentes, AVGVSTA, in beatiſſima illa Paradiſi ſede, a Deo Optimo Maximo collocati fuiſſent, neglecto Creatoris mandato, ſua culpa effecerunt, ut e laetiſſimis illis viretis, in quibus ſine labore & cura aeternum vivere poterant, expellerentur, terramque non ſine magna moleſtia colere neceſſe haberent, & duram ac difficilem vitam agere, quam tandem morte commutarent.

c Nec

Nec ita multo poſt Caïnus, invidia in fratrem permotus, primus omnium ſanguine humano, occiſo innocente Abele, terram cruentavit; & tametſi Deus poenas caedi nondum propoſuiſſet, tamen diritate & conſcientia facinoris perculſus, graviores ſibi imminere, quam ut eas ferre poſſet, exclamavit. Mox in omne nefas humanum genus ruit, Divinamque Juſtitiam uſque adeo provocavit, ut immiſſo terris diluvio omnes homines, excepto Noacho, cum ejus familia, deleret.

Exſiccatis deinde eluvionis aquis, in fertiliſſimum Babyloniae ſolum ſeſe hominum tenues reliquiae tranſtulere. Eo temporis intervallo, vetitum eſt a Deo homicidium; poena mortis in caedis auctorem conſtituta; qua de cauſa, Deus etiam interdixit animalium ſanguine veſci, ne a ſanguinis brutorum deguſtatione, ad effundendum humanum ſanguinem, paullatim gradus fieret.

Nec tamen haec obſtiterunt quominus, aucto hominum numero, humani generis familiae ac ſocietates ſe invicem bello impeterent. Videmus, a tempore Abrahami, Orientis Reges bellum Palaeſtinis intuliſſe, Lotumque fratris ejus filium captivum abduxiſſe; quem ille vi recepit, & in priſtinas ſedes reduxit. Vetitum quamvis ſit homicidium, pio tamen & juſto bello ſe & ſuos tueri, ac vindicare in libertatem licet; quin & non juſtum modo, verum etiam laude dignum exiſtimatur. Nulla enim cauſa erat, cur violentis hominibus male mulctandi, ſpoliandi, ac caedendi alii traderentur.

Mirandum prorſus eſt, cum hominibus, eo aevo & ſequentibus, plus eſſet agri, ejuſque fecundiſſimi, quam opus erat, ut ſe ſuoſque ſuſtentarent, eos tam cito ad tantam feritatem deveniſſe, ut ſuis agris incultis relictis, alienos invaderent. Chananaea ipſa latius multo habitabatur, quam colebatur, cum Abrahamo Lotoque, quaquaverſum liberet, cum pecudibus & familia, ire liceret.

Sed praedam & rapinas, his bellis, quaerebant homines otio & voluptatibus dediti, ut alieni laboris fructibus potirentur. Quae cauſa condendarum & muniendarum Urbium fuiſſe videtur; neque enim in agris, propter frequentia bella & latrocinia, ſecuris ſemper eſſe licuit; praeſertim iis qui ſolum vicinis fertilius colebant, aut divitias nonnullas ſibi compararant, invidiamque facinoroſorum hominum in ſe concitabant. Quin & ſaepe factum, ut ex fertiliſſimis terris in alias minus fecundas migrarent infelices coloni; quo in ſterilibus potius agris libertate fruerentur, quam in fertilibus ſervirent.

Verum ne hac quidem ratione potentiorum tyrannidem fugere potue-

tue-

tuerunt; quamvis eam regnandi aviditatem abſurdam eſſe interdum intelligere ſe ſatis ii quoque ſignificarent, qui ea maxime laborabant; ut Philippus ille Macedonum Rex, qui cum in palaeſtra cecidiſſet, converſuſque corporis ſui in pulvere veſtigium vidiſſet, *Dii boni*, inquit, *univerſum terrarum orbem appetimus, quibus tam exiguam ejus portionem natura tribuit!* Attamen nec ipſe alieni minus appetens poſtea fuit, nec filius Alexander cupiditati frenum propterea impoſuit; qui unicum orbem ſibi victoriis domandum eſſe datum gemebat; quamvis Aſiae tantum partem & extimas Indiae oras ſubigere potuerit, cum in adoleſcentiae flore, venenato poculo hauſto, exſtinctus fuerit, poſtquam nefario auſu divinos ſibi honores exhiberi poſtulaſſet.

Nec Reges tantum, verum etiam ipſas Reſpublicas aliena invadendi libido vexavit, ut ſatis conſtat exemplo Romanae Reipublicae; cujus Reges non majore cupiditate finitimorum agros invaſerant, quam poſtea fecit Reſpublica, ſub Conſulum, Tribunorum Militarium aut Dictatorum auſpiciis. Tum cives adſueti magnis exercitibus diu imperare, & aliena armis occupare, coeperunt de ipſa invadenda Republica, opprimendaque patria ſua cogitare; quod liquet ex Marii & Sullae bellis civilibus, quodque nimis feliciter exſequutus eſt C. Julius Caeſar; quamvis poſtea in Senatu, ab iis, qui ſuperbiam hominis & tyrannidem pati non poterant, fuerit occiſus. Hoc ejus exitu deterreri non potuit Auguſtus, quin patriae jugum variis artibus imponeret, vicinoſque omnes populos, ne exceptis quidem Germanis, quos ſua paupertas tutos praeſtare debuiſſe videbatur, imperio premeret. Quod & alii poſtea Principes fecerunt, donec a Gothis, Vandalis, aliiſque barbaris populis imperium ipſum Romanum invaderetur; & merito, quid enim erat juſtius, quam eos, quibus fertiliſſimi & amoeniſſimi Europae, Aſiae atque Africae tractus ſatis non erant, quique frigidi Septemtrionis egenos populos parum feracibus terris expellere, aut obnoxios habere conabantur, ab iis, rerum mutatis vicibus, peſſime haberi, atque in ſervitutem redigi?

Principes autem illi & patriae ſuae & generi humano graves, non ſatis habuerunt vivi laudari, aut Hiſtoricorum conductorum calamo vitia, ſub virtutum nomine, Poſteritati commendari; ſed & ſumtibus immenſis ac labore maximo vaſtiſſimas moles & ſplendidiſſima aedificia exſtruxerunt; quae tamen omnia temporum injuria, vel Barbarorum, quos dixi, ira, aut penitus, aut maxima ex parte corruerunt; ita ut nihil jam ſuperſit, praeter rudera ac parietinas, quae eorum inanem ſuperbiam poſteris ridendam exhibent. Oſtendunt hoc ad ocu-

lum eorum monumentorum reliquiae, quae in hoc Opere accuratissime delineatae spectantur. Hinc liquet quanti sint a sapientibus ac piis Principibus habenda hujusmodi inanis gloriae monumenta; quod & nonnulli etiam olim, apud Ethnicos, probe viderunt.

Eximia sunt, hanc in rem, Juvenalis (*Sat.* X. 132.) verba:

Bellorum exuviae, truncis adfixa tropaeis
Lorica, & fracta de casside bucula pendens,
Et curtum temone jugum, victaeque triremis
Aplustre, & summo tristis captivus in arcu,
Humanis majora bonis creduntur; ad haec se
Romanus, Grajusque ac Barbarus Induperator
Erexit, causas discriminis atque laboris
Inde habuit; tanto major famae sitis est, quam
Virtutis!

Cum vero Christiani Principes ad rerum gubernacula accessissent, spes facta videbatur mortalibus vitae pacatioris; sed, proh dolor! res longe aliter cecidit. Multo enim inter se atrocius saevierunt, quam Ethnici fecerant, & Euangelium ipsum, quod pacis & juris divini ac humani observantiores eos reddere debuerat, praetexere coeperunt, ut nefanda bella & latrocinia exercerent. Opiniones suas, quas Religionem Christianam vocabant, ferro & igne propagarunt, & aliter sentientes, licet DEUM eumdem colerent, Servatoremque JESUM CHRISTUM agnoscerent, exquisitis suppliciis persequuti sunt.

Sed nec ad res civiles quod attinet, atque ad hanc vitam pertinentes, prudentiam aut justitiam majorem ostenderunt. Pravi, nimirum, consiliarii, privatamque utilitatem suam, neglecta Imperii salute, quaerentes, eos ad omnia mala impulerunt. Principibus suaserunt, non quae ad publicum commodum spectabant, sed ea quibus eos maxime delectari norant; ut ejusmodi adulatione amplissima munera, & immensas divitias, quibus sustentarent luxum suum, sibi compararent.

Nonnulli etiam, quorum major fuit nequitia, Principes hortati sunt ad ea, quae ipsorum Principum familias potentiores ac illustriores reddere posse videbantur; sed quae civium omnium & totius regni commodis adversabantur. Conati sunt summates viros, & quorum auctoritas apud populares maxima erat, in odium atque invidiam apud Principes adducere, suspectosque pravorum consiliorum reddere; ne rerum administrationi adhiberentur, & incolumitati patriae fidelibus monitis consulerent. Clientes vero suos & pauperiores amicos, qui a se penderent,

derent, ad publica Concilia adgregari curarunt. Reges denique, a prima adolescentia, ad bella suscipienda adhortati sunt; quae justane, an injusta essent, minime sua interesse putabant. Neque causae longe accersitae umquam illis defuerunt, cur sanctissima, & jurejurando solemniter confirmata foedera rumperentur.

Si ipsos Principes mitiore, pacisque & justitiae amantiore animo esse contigerit, ad nocentiora consilia sese converterunt, suspicionesque eis injecerunt, quasi a civium studiis sibi timere debuissent, seditionesque in regnis suis exspectare; nisi pro libidine, sine ulla legum reverentia, iis imperitarent, vectigalibusque ac tributis intolerandis miseros ad paupertatem redigerent. Itaque Principes ab iis occoecati putarunt, maximam gloriam ac majestatem suam esse sitam in eo, ut mancipiis & pauperibus potius, quam liberis & divitibus, imperarent. Multo aequior ac sapientior fuit priscus ille Macedoniae Rex, qui, cum audiret Regibus omnia aequa & honesta esse, reposuit, ita videri *Regibus barbarorum ac ferorum populorum, sed sibi ea dumtaxat esse honesta, quae honesta essent; & haec tantum aequa, quae sola aequa essent; ac justa, quae justa essent.*

Alioquin idem hominum genus Principes laudis paullo cupidiores, nec satis scientes, quanam in re vera laus sita sit, ad imitandum Alexandrum, qui totius orbis imperium adfectabat, impulit; quo pacto optimi alioqui forte futuri Reges, si bonos Consiliarios nacti fuissent, in tyrannos, homicidas, latrones, suorumque, aeque ac aliorum omnium, juratos hostes mutati sunt. Quaerunt, nimirum, Aulici, quî dignitatibus, in mediis turbis, augeantur; magnorum munerum proventu ditentur; spoliisque & praeda, ex vicinis rapta, regias opes sibi congerant. Itaque finitimos populos, quibus, nulla alia de causa, ipsi privatim sunt inimici, quasi hostes publicos armis persequuntur; nec religioni ducunt propterea opes & sanguinem civium profundere. Quin & ex compilatione privatorum ingentes apud se coacervant thesauros, dum suae avaritiae ac libidini regia mandata praetexunt.

Iis artibus fit, ut summae rerum praesint saepissime homines scelerati, exiguaque sit, aut nulla bonorum Consiliariorum copia; quod recte, apud Tacitum, (*Hist. Lib.* I. *c.* 15.) animadvertit Galba Imperator, in egregia illa ad Pisonem, quem sibi adoptarat, adloquutione: *Fidem*, inquit, *libertatem*, *amicitiam*, *praecipua humani animi bona*, *tu quidem eadem constantia retinebis*; *sed alii per obsequium imminuent. Irrumpet adulatio*; *blanditiae*, *pessimum veri adfectus venenum*; *sua cuique utilitas.*

litas. Etiam ego ac tu ſimpliciſſime inter nos hodie loquimur; ceteri libentius cum fortuna noſtra, quam nobiſcum; nam ſuadere Principi quod oporteat multi laboris; adſentatio erga Principem quemcumque ſine adfectu peragitur.

Tua vero, REGINARVM MAXIMA, ſingularis prorſus eſt felicitas; cujus Publicum Concilium iis conſtat, quorum maxime intereſt Te feliciter regnare, Regnumque Tuum copiis omnibus abundare, & quam optime ad Legum normam adminiſtrari. Praeſules, Nobiles ac Comitatuum Deputati eo omnes ſpectant, ut nihil omittat populus eorum, quae ad firmandum, ſtabiliendumque imperium Tuum pertineant, ut publicae felicitatis primarium, ſub Deo Optimo Maximo, inſtrumentum ſis & habearis; nec Tu, AVGVSTA, ulli rei dees, quae ad beandos omnes, qui Tibi parent, quidpiam conferre poſſit. Ab hiſce Regni Tui Proceribus, populique Oratoribus, libere ſimul ac reverenter quae videntur monentibus, ſine fuco & fallaciis, quae omnium intereſt a Te ſciri, cognoſcere potes.

Quin etiam rerum arcaniorum participes, in Privato Concilio, Tibi legiſti viros prudentia, probitate atque integritate morum notiſſimos, & populo acceptiſſimos. Hi Te ad ea dumtaxat hortantur, quae ad omnium Ordinum dignitatem ac ſalutem faciunt; qualium conſiliorum penuria, multis Principibus malae adminiſtrationis potiſſima fuit cauſa. Nemo profecto meliorem poſſit comminiſci regiminis formam ea, in qua totius Regni & Regum Senatus ſapientia & exiſtimatio in eo ſita eſt, ut quaerant quomodo quam optime ſit Imperio; neque penes paucos homines infidos & malevolos ſit rerum adminiſtratio publicarum.

MAIESTATEM TVAM nunc totus cum ſtupore intuetur terrarum orbis, tanta ſapientia beatiſſimi regni habenas moderantem; praeſertim cum non ita pridem in diſcrimine verſaretur non Europa modo, ſed & remotiores terrarum orae, quarum ſecuritati, victoriis Tuis, proſpexiſti; ita ut brevi tempore gentes omnes Chriſtianas jugo, quod earum cervicibus, per utrumque Hemiſphaerium, imminebat, liberatas nos viſuros, armis Tuis juſtiſſimis, ominari jam poſſimus. Cum probe ſcires, ſanguini humano parcendum eſſe, quoad ejus fieri poteſt, ad bellum gerendum non niſi neceſſario deſcendiſti; quod pie ac juſte ſuſcipi potuit, imo & debuit, ut non Regnorum Tuorum dumtaxat, ſed etiam totius propemodum humani generis facultates omnes, & iis pretioſior, libertas contra eas invadentes defenderentur.

Accedit

Accedit ad cetera in cives Tuos merita, quod in hoc gravissimo belli atrocissimi tumultu, divisa antea Magnae Britanniae regna, prudentia, clementiaque Tua, in unum sub lenissimo Tuo ac justissimo imperio coaluerint, & indissolubili vinculo juncta, in posterum sint futura. Propter tam praeclari consilii, a Decessoribus Tuis frustra antehac tentati, felicem eventum, gratulantur Tibi totius pulcherrimae Insulae populi, & gratum etiam animum suum probare student, subministratis alacriter sumtibus ad tantum bellum sustentandum necessariis; nec vitam suam in confirmanda, propagandaque Imperii Tui gloria profundere recusant. Norunt, nimirum, pretiosius nullum esse totius Britannicae gentis bonum, quam ut libertate, justo imperio temperata, in perpetuum fruatur; nec timeat ne vicinae gentis invasione ulla turbetur, aut cujusquam artes sibi possint nocere. Nec minus iis constat opes suas & sanguinem cum securitati regnorum Tuorum, tum Europae totius felicitati impendi, nec in cujusquam usum privatim interverti.

Longe aliud spectabant Romani, aliique libertatis humani generis hostes, qui & vicinorum perniciem, & civium obnoxiam servitutem quaerebant; victoriae enim eorum, qui post Julium Caesarem imperarunt, si paucos, ut Ulp. Trajanum & M. Aurelium, excipias, non minus relatae sunt de civibus, quam de exteris populis; iis enim fiebat, ut foris formidolosi victoribus exercitibus ad augendam civium Romanorum servitutem abuterentur; quod de ceteris etiam Imperii Despotici auctoribus intelligendum, ubicumque vixerint; numquam enim ferocius suis imperarunt, quam cum victores & spoliis vicinorum onusti redierunt. Paucissimi semper fuerunt ab omni aevo Principes, quorum ea cura fuerit, ut ad legum normam, si res essent eis secundiores, imperarent, populorumque sibi parentium tranquillitatem & divitias, non minus ac suas, prout decebat, curarent.

Deus vero faxit, MAXIMA REGINA, ut omnes Populorum Rectores, qua patet terrarum Orbis, ad Tui felicissimi regiminis exemplum, tamquam summi Numinis imagines conspicuae, certatim humani generis utilitatibus studeant, Justitiamque, qua omnes virtutes continentur, quam sanctissime domi & foris colant. Beati sane essent omnes populi, si hoc fieret, simulque operam darent, ut ex praecepto Dei eum colerent, magnifica ejus opera, cum reverentia & admiratione, scrutarentur, viamque salutis ingressi constantissime, sub summarum Potestatum praesidio, eam tenerent, donec singuli suo fato, omnibus exstinctis bellis, placide interirent. Tum vero honesta stu-

dia,

dia, & praeclarae artes colerentur & promoverentur, cum frequentibus bellis ubique ferme proſtrata jaceant. Tu, AVGVSTA, jam exemplo ceteris praeiviſti, quae cum populo libero, diviti & induſtrio praeſis, effeciſti ut etiam in medio bello, in Britannia & Hibernia, remotioribuſque Americae locis, a Britannicis coloniis occupatis, ubique hodie artes floreant, maximaque Veterem inter & Novum Orbem ſint commercia, quorum ope terrarum omnium divitiis, quaſi apud ſe natis, fruuntur. Nihil amplius optandum nobis ſupereſt, niſi ut praeſidio, auxilioque Tuo, pax toti Europae communis (neque enim regnorum Tuorum finibus Providentia Tua clauditur) tandem illuceſcat, firmaque & ſtabilis in poſterum ſit. Servet vero & incolumem praeſtet Te Deus, ut pulcherrimum hoc coeptum perficere poſſis! Secundet conſilia Ducum exercituum Tuorum, & ejus praeſertim, qui ſummae rerum in pedeſtribus copiis praeeſt, felicis ac invicti MARLEBVRGII, fortes ac obſequentes praeſtet iis milites, quemadmodum ad hunc uſque diem fecit, & praeſertim proxime elapſo anno & hujus initio contigit. Territo hoſtium exercitu & clade non una contrito, munitiſſimam urbem, eo ſpectante & fruſtra ringente, capere, ac duas alias ſaeviente jam hieme, recuperare licuit. MAIESTATIS TVAE prudentia ac fortia conſilia mortales omnes in aeternum praedicent, ſempiternaſque Tibi gratias habeant & agant! Sicuti ego hodie facio, natus & educatus in civitate libera populi Tecum arctiſſimo foedere conjuncti; & qui a proavis uſque fortiſſime & conſtantiſſime libertatem ſuam armis adſeruit, & nunc conjunctim cum Tuis copiis tuetur, Divinumque ea in re favorem prorſus ſingularem expertus eſt & experitur.

Non in animis tantum Tuorum Britannorum, ſed & noſtrorum Batavorum habebis conſecrata gloriae Tuae monumenta, multo perenniora hiſce, quorum rudera ſumma arte picta, Tibi, ſubmiſſa reverentia, Do, Dico, Conſecroque. Everſa ſunt monumenta illa victoriarum Romani Populi, jacentque in ruderibus ſuis; ſed aeternum vivet Tui memoria, apud animos vicinarum praeſertim Gentium, & cum Britannica confoederatarum, eaque erit quam optimi quique Principes ſibi exoptant. Memores erimus Tui, non ut ſunt infelices populi memores eorum, a quibus in ſervitutem fuerunt redacti, aut male mulctati, quos etiam mortuos horrent; ſed quaſi HEROINAE coelo, ad communem humani generis utilitatem, demiſſae.

Ignoſcas vero obſecro, quod ſacram MAIESTATIS TVAE imaginem Operi huic praefigere non reformidarim. Optant mortales omnes

omnes de facie quoque nosse eam Reginam, cujus tanta in tam insignem humani generis partem sunt merita. Imitatus sum, ea in re, gentes excultissimas, quibus moris fuit imagines & monumenta praeclarorum hominum habere in promtu, & omnium oculis exposita, ut ad eorum imitationem praestantes quique animi exstimularentur; quibus nihil fuit umquam, nec erit pulchrius, quam quod Tu, SERENISSIMA REGINA, facis, & quod exprimere licet Romani Tragici (*Senec. Octav. v.* 472.) verbis, quibus hanc Epistolam claudam:

Pulchrum eminere est inter ILLVSTRES VIROS,
Consulere patriae, parcere adflictis, fera
Caede abstinere, tempus atque irae dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo.
HAEC SVMMA VIRTVS, PETITVR HAC COELVM VIA.

Haec de Te, Tuique similibus Principibus, quotquot sunt, eruntque, sentiebat & vovebat

MAIESTATIS TVAE

Devotissimus atque humillimus Cultor

MICHAEL AB OVERBEKE.





A V C T O R I S
P R A E F A T I O
A D L E C T O R E M.

Uod vides opus, Benigne Lector, utinam, aliquot abhinc centenis annis fuisset inchoatum & absolutum Non jam profecto tot praeclara AEdificia, & Palatia maxima tenebrarum oblivionis & ignorantiae perpetua nocte jacerent obruta, sepultaque.

Equidem mirari satis nequeo, neminem Veterum exstitisse, qui studuerit, & hoc egerit, ut quam exactissimas haberemus delineatas & depictas tabulas aeneas, & effigies veras Templorum, AEdiumque splendidissimarum, quæ in Veterum Scriptorum monumentis laudibus summis efferuntur; quo tempore Roma abundavit ingenti numero praestantium Architectorum, Chalcographorum, Pictorum, Sculptorum, peritorumque artium Mechanicarum. Et tamen horum aliqui non indiligentem praestiterunt operam, caventes, nimirum, ne splendor & gloria Urbis Principis posteritati serae penitus forent ignota; ut summa cum eruditione principia artis suae, & ipsam quoque aliquatenus Romanam Urbem, quae merito suo omnium magnarum Urbium Regina habetur; &, ut vere Martialis pronunciat, (*Lib.* XII. *Epig.* 8.)

> *Terrarum Dea, gentiumque Roma,*
> Cvi Par *est nihil, & nihil* Secvndvm.

Et de qua minime falso Propertius dixit; (*Lib.* III. *Eleg.* 21.)

> *Omnia Romanae cedant* Miracvla *terrae,*
> *Natura hic posuit, quidquid ubique fuit.*

oculis nostris quasi contemplandam praeberent, ac describerent. Etenim accurata demum totius Urbis delineatione, & exactissimis AEdificiorum illius tabulis aeri incisis, perfecta imago Civitatis amplissimae impressa plane haereret, & infixa mentibus nostris.

De magnitudine Urbis hujus, & moeniorum ambitu, acerrime inter se digladiantur Eruditi. Plinius numerat triginta passuum millia. Viderint Doctiores, cujus sententia verissima sit dicenda. Ego, Romae vivens, pedestri itinere circuitum hodiernorum murorum illius emensus, ab utraque Tiberis ripa, comperi, ut nunc sunt Muri Urbis, qui feruntur ab Aureliano primum constructi, restitutive fuisse, complecti majora & horaria milliaria quinque, quae conficiunt viginti millia passuum.

Quantus vero hujus Sedis Imperii Romani splendor fuerit, animo & oculis nostris intelligendum, & conspiciendum praebebit sequens Breviarium rerum, & aedificiorum illius maxime memorabilium. Fuerunt hic Portae, ut Plinius scripsit, xxxvii. Templa ccc. & plura. Basilicae x. Arcus Marmorei xxxvi. Obelisci magni vi. parvi lxii. Fora xi. Thermae xi. Aquae xiv. Castra aquarum xv. Pontes vii. Granaria cccxxvii. Montes vii. Circi ii. Theatra iii. Amphitheatra ii. Colossi Marmorei li. AEnei xxxvii. Equi magni xxiii. Deaurati lxxx. Eburnei lxxxiv. Statuae sine numero. Columnae Cochlides ii. Naumachiae v. Nymphae xv. Ludi iv. Macella ii. Lacus mccclii. Campi viii. Silvae xxxii. Bibliothecae xix. Senatula iv. Capitolia ii. AEdes Sacrae ccccxxiv. Vici ccccxxvi. Insulae lxvimdcii. Domus majores mdccxx. Balnea dccclvi. Pistrina ccliv. Lupanaria xlv. Jani xxxvi. Latrinae publicae xliv. Castra xi. Tabulae & signa sine numero. Vicomagistri dclxxii. Curatores xxxiii. Cohortes Praetoriae x. Urbanae iv. Vigilum vii. Excubitoria xiv. &c. &c.

Paucis autem abhinc seculis, & hoc praesertim nostro aevo, aliqui in lucem rursus edere harum Antiquitatum Scriptores sunt conati, quorum Libros Typographi exornarunt effigiebus AEdificiorum antiquorum, utcumque pro ipsorum arbitrio exornatis, & delineatis a pluribus, non omnino rudibus sculptoriae artis magistris.

Etenim haud immerito arbitrabantur, ſuis Libris ingens decus & pretium acceſſurum, ab illuſtratione effigierum & imaginum iſtiuſmodi. Sed contra accidit illis, ut his picturis ſuis omnia redderent incertiora, & minus cognoſcenda. Pictoriae enim artis ſtudioſi, qui Romae degunt, in eo unice elaborant, non ut exacte & diligenter exprimant rudera, & reliquias veterum AEdificiorum; ſed potius ut ſui in his inſtituti ac conſilii rationes ſectentur. Verbi gratia, delineaturi ruinas Templi cujuſdam, Palatii, aut Thermarum, depingunt illius Antiqui aedificii columnas duas, treſve, aut quatuor; vel etiam fragmentorum e terra erutorum partes quaſdam, ad artis ſuae ſtudium maxime utiles & idoneas. Atque mox parti aedificii hujus conjungunt aliquid ex alio quodam AEdificio vetere, vel quod viderunt ipſi, vel quod ingenii eorum eſt commentum, prout exiſtimant haec omnia ſpectatoribus maxime placitura, & convenientia futura, teſtificandae peritiae ſuae, in pingendi arte. Hinc haud infrequenter accidit, ut ſi quis icones iſtiuſmodi conferat cum rebus ipſis, uti Romae conſpiciuntur, is ſphingem quamdam, aut chimaeram, ſive monſtrum multiforme, & ex variis corporibus ac fragmentis compoſitum ſe videre arbitretur; quamvis iſtae imagines pictae in ſemet elegantes interdum habeantur, valdeque placeant pictoriae artis amatoribus.

Eſt & aliud harum pictarum tabularum vitium: fruſtra in iis quaeras plurimas Romae Veteris ruinas, quarum in Antiquariorum Libris frequens fit mentio, eo quod admirationi fuiſſent Romanis & advenis nondum vaſtata, & collapſa Palatia, & aedificia iſthaec. Nimirum, fragmenta & parietinae mirabiles ſtructurarum iſtiuſmodi nihil videntur poſſe facere ad gloriam pictorum, in ſuis aereis tabulis illas exprimentium, illuſtrandam, & proinde ab omnibus fere negliguntur, & a paucis Romae etiam cognoſcuntur, aut inquiruntur.

Haec me cogitatio, in illa Urbe peregrinantem, movit, ut, ad privatos uſus meos, Veterum Monumentorum ruinas maxime precipuas delinearem, & in effigiebus chartaceis deſcriberem. In patriam poſtea reverſus, placuit hic labor meus, non artis modo noſtrae, ſed & omnis eruditionis & Antiquitatum ſtudioſis; auctoreſque mihi fuerunt, ut quidquid hoc erat operis mei, publici juris facerem. Sed interea ipſe mihi hac in parte minime ſatisfaciebam, conſcius multa deſiderari ad perfecti Libri iſtius conſummationem.

Altera igitur vice adeunda mihi Roma fuit, ut quae illic reperiebantur reliqua mirandorum AEdificiorum rudera, diligentiore oculo perluſtrarem, nitideque depingerem, quidquid in parietinis ſupereſſet vetuſti operis, vel etiam hoc aevo noſtro reſtituti, Portas, nimirum, Templa, Baſilicas, Sepulcra, Arcus Triumphales, Obeliſcos, Fora, Columnas, Thermas, Balnea, Fontes, Aquaeductus, Caſtra aquarum, Pontes, Inſulas, Granaria, Hortos, Montes, Palatia, Circos, Curias, Theatra, Amphitheatra, &c.

Ut domum redii, haud inconſultum fore duxi, ſi iconibus meis, qualemcumque adjungerem hiſtoriae veteris deſcriptionem, ex probatiſſimis Auctoribus collectam, breviſſimamque. Etenim noſtri non eſt inſtituti, quod ingenti ſtudio doctiſſimeque alii plures, hiſce in rebus ſatis erudito aevo noſtro, perſequuntur, pertractare arcana omnia & primordia Urbis ac Imperii Romani.

Nolui tamen ſilentio praeterire Conditores & Auctores praeſtantium Urbis AEdificiorum, ſive publicorum, ſive privatorum, & quae faciebant aliquid ad cognitionem utilitatis, magnificentiaeque Operum ſingulorum.

Hic mihi tum conſulendi & inſpiciendi erant, quotquot habere potui Auctores, Latini in primis, immo & Antiquarii Italici & Gallici, ut ex his colligerem quoddam quaſi Florum Corpuſculum, prout maxime mihi videbatur commodum, quibus ſcriptis intermiſcui, quae a me, ceu teſte oculato, obſervata Romae fuerant. Dedi autem operam, ne incondite & perturbate cuncta conſcriberentur; aut nimis multa colligerentur; quaeque legentibus taedium & faſtidium adferrent; quod pleriſque harum Antiquitatum collectoribus, variae eruditionis laudem in aliena meſſe temere captantibus, merito vertitur vitio, qui nihilominus multa praetermittunt, quae ex aliorum ſcriptis petenda ſunt curioſis harum rerum, & addiſcenda.

Non omiſi Inſcriptiones neceſſarias, Numiſmata antiqua & hodierna, operique huic inſervientia, menſuras Geometricas, Architecturae ordines, marmorum genera, & quæ detexeram Architectorum nomina.

Interea dum huic uni ſtudio totus incumbebam, plurima ſeſe obtulerunt mihi dubia & incerta, unde extricare & expedire memet minime poteram, niſi tertia quoque vice repetito itinere Romam me conferrem. Hujus autem diligentiae meae hunc fructum tuli, ut glorier; nihil in his obſerva-

tis

tis meis, quoad ejus fieri potuit, praetermissum esse, quae spectabant ad rudera & reliquias AEdificiorum Veterum, & in solis ruinis suis superstitum, quae quidem in Urbe visebantur, temporibus Paparum Innocentii XI. Alexandri VIII. & Innocentii XII, anno proximo ante horrendum, totique Italiae funestissimum terrae motum, qui Anno cIɔ Iɔccii. sub Clemente XI. ingentibus damnis affecit Urbem ipsam, & has quoque Antiquitatis priscae parietinas, & Monumenta vetusta; nocuit tamen in primis ruinis nobilissimi Amphitheatri Flavii, quod Colossaeum vocant.

Ipse denique manu mea locorum omnium icones, Romae a me ad vivum, ut loquuntur, expressas, aeri incidere volui, quo accuratius prodirent, & ab aliis Romae viventibus, ac peregrinantibus cognoscerentur melius; non veritus, quin hic labor meus, sanequam non exiguus, jucundissimus gratissimusque omnibus justis artis pictoriae, sculptoriaeque, venerandorumque Romanae quondam potentiae indiciorum, & documentorum, etiamnunc remanentium, aestimatoribus & amatoribus sit futurus. Vale.

AVCTOR AD LECTOREM.

*Bservandum in primis est, si quis effigies consideret Templorum & AEdificiorum Veterum, prout videmus eas expressas in Numismatibus vetustis, minime illas convenire cum ruinis dirutorum, & structura atque elegantia eorum, quae supersunt. Hujus differentiae & discriminis ingentis vera haec est ratio.*

Quum primis Urbis & Reipub. temporibus, exiguae modicaeque illius essent opes, Diis erigebantur, & construebantur sub dio dumtaxat altaria nuda, aut sub tabernaculis stramine tectis. Hujus generis fuit Ara, *quae vocabatur* Maxima. *Templa vero ipsa aut lignea erant, aut plane rustica.*


Haec tamen omnia, crescentibus Reipub. opibus, auctoritate ac jussu Consulum & Senatus, Imperatorum, Virorumque potentium & illustrium, commutata fuere, in amplissima aedificia & templa. Et si forte vel incendio, vel aliam quamvis ob caussam aliquid eorum erat restituendum, omnia ea elegantiorem & magnificentiorem in modum instaurabantur.

Saepe etiam usu venit, ut in Numis sola conspiciatur imago Dei cujusdam, cujus Numini sacrum habebatur non expressum in eo templum, propterea forte, ne quid foret ambiguum in ratione cultus Dei istius. Hujusmodi quid observasse mihi videor in Numo IO. MAX. CAPITOLINVS. *Nullum quippe est dubium, quin Tarquinius Priscus exstruxerit Deo huic, in ipso Reipub. principio, Templum, omnium sui seculi splendidissimum. Atqui in Numo nihil ejus visitur, nisi sola Frons AEdificii, suffulta pilis, aut columnis duabus, subter quas Jupiter, quasi sedens, exprimitur.*

Nonnumquam Antiquorum & ingentium AEdificiorum ruinis superstructae videntur aediculae parvae, nullius splendoris & artificii, ita ut ne minimam quidem similitudinem, aut convenientiam habeant cum structura vetustarum aedium, quibus sunt superimposita. Hoc vero exinde accidit, quia Gothi, Vandali & peregrinae gentes aliae, quibus Urbs devicta paruit, iisdem antiquis & dirutis aedificiis vice domuum, aut propugnaculorum, adversus hostiles adgressiones, uterentur.

Est & hoc, quod monere Lectorem volumus. Ut reperiantur Inscriptionum loca, ubi necessarium id fore duximus, notis quibusdam ea designavimus, tam in effigiebus aeri incisis, quam in discriptionibus Explicationum earumdem. Earum notarum signa haec sunt, ✠, ✱, C.

Magnitudinem Palmi Romani etiam hic apponendam duxi, cujus unius mensura usus sum, in dimensionibus mechanicis Antiquorum AEdificiorum Columnarum & Pilarum.



EDITORIS PRAEFATIO.



AUctor Operis hujus, Agnatus meus BONAVENTURA AB OVERBEKE, a pueritia miro ingenii impetu ferebatur ad amorem artis pingendi effingendique, invitis quamquam patre & conſanguineis, a quibus ad Litterarum ſtudia deſtinatus erat. Sed ille obſecundare deſideriis gnati tandem fuit coactus. Tradiderunt igitur eum erudiendum illuſtribus hac in arte magiſtris cum noſtratibus, tum extraneis, Pariſiis & alibi, atque etiam longe celeberrimo in hiſtoriis pingendis artifici Gerardo de Laireſſe, cujus quoque domeſtico contubernio multis annis uſus eſt, antequam primae ſuae in Italiam profectioni ſe accingeret, & poſt reditum.

Inde reverſus totum ſe contulit ad hoc genus artis iſtius, quae in hiſtoriarum & imaginum Veteris aevi deſcriptionibus, ac tabulis verſatur, in quem finem, quum Romae prima vice peregrinaretur, inter alia multa pictoriae diligentiae exercitia & ingenii luſus, nonnulla nobiliſſimorum Urbanae magnificentiae Monumentorum rudera & parietinas delineavit.

Ad poſtremum intermiſſo priore inſtituto ſuo perdiſcendae artis pictoriae, & imaginum vivis coloribus perpoliendarum (quo in ſtudio multum jam profecerat) animi gratia effigies duntaxat humanas, & quae ad id praeterea requirebantur, effingebat. Iſtorum tamen laborum ſuorum nihil in lucem proferre umquam eſt conatus; ſed hoc, quod videtis, Opus conſummare, & priuſquam fatis concederet edere vehementer optavit: neque tamen voti ſui compos factus eſt, quamquam effigies omnes ipſemet aeri jam inciderat.

In effigie Tituli, quam ipſe lethali impeditus morbo (interiit quippe phthiſios ſpecie quadam confectus) perficere non potuit, uſus eſt opera & miniſterio ſculptoris Matthiae Pool, qui eandem abſolutam, quatuordecim ante fatalem illius horam diebus, Auctori noſtro retulit. Ornamenta Pyramidii Obeliſci Pamphilii praeterea deſiderabantur, quae juſſu meo ſunt expedita.

Tabula vero Urbis, quam ſculptori tradiderat, nondum erat perfecta; hanc ego poſtea abſolvendam dedi; & ornamenta illius effingere juſſi pictorem Ottomarum Elliger. Effigiem porro Auctoris biennio ante mortem ipſius depictam, ſculpendam commiſi defuncto nuper Vermeulen Antverpienſi; ſed in Dedicationis imagine meum propoſitum pictor & ſculptor ſunt ſecuti. Numiſmata nondum quoque aeri erant inciſa, quod meo demum mandato nominatus Pool effecit; ipſos etiam veros Nummos conquiſivi ex Armariis Illuſtriſſimi Comitis Swartzburgii, Dominorumque de Barry & Uilenbroek; quique in iis non reperiebantur, ex optimorum ea de re Auctorum libris decerpendos, omneſque, ut aequabile Opus foret, ad unius formae magnitudinem redigendos curavi. Duobus autem lineolis intermediis conjunctos exhibui Nummos, quorum effigies binae referebant ſimul cauſſam & auctorem cudendi Nummi; quorum vero effigies auctorem Nummi non adjunctum habebant, eos unica lineola conjunctionis notavi.

Deſcriptionem denique Operis totius ipſemet adhuc ſuperſtes Auctor abſolverat, unica Murorum Romanae Urbis hiſtoria excepta, quam inchoaverat; eam porro conſummandam dedi, uſus conſilio Eruditiſſimi Clariſſimique Domini Joannis le Clerc, prout etiam feci in verſione Operis totius Gallica, concinnata diligentia & ſtudio viri docti.

Haec erant illa, Lector, quorum te penitus ignarum eſſe nolui, cogniturum caetera ex ipſius Auctoris Praefatione.

P R I V I L E G I E.

DE STAATEN van HOLLANT ende WESTVRIESLANT, doen te weeten, Alſoo Ons vertoont is by MICHIEL VAN OVERBEKE, wonende tot Amſterdam, dat hy Suppliant voornemens was in 't ligt te geeven, *alle de jegenwoordige Overblyfſels der Antique Gebouwen der Stad Romen*, *door wyle* BONAVENTURA VAN OVERBEKE, *geduyrende deſſelfs verblyf in Italien naa het leeven geteykent*, *ende naderhant hier te Lande door den ſelven in kopere plaaten gebraght*, *met bygevoeghde Beſchryvinge der ſelve*, dogh vermits den Suppliant bedught was, dat het voorſz. Werk in het light komende, door ymant anders, 't ſy in 't geheel of ten deele, ofte by aparte platen, ſoude moogen nagemaakt oft de beſchryvinge naagedruckt werden, waer door hy Suppliant ſeer groot naadeel ſoude koomen te lyden, ſoo keerde hy Suppliant ſigh met alle eerbiedigheyt tot Ons, verſoekende, dat Wy hem Suppliant geliefden te begunſtigen, met een Previlegie om de voorſz. Wercken, geduyrende den tyt van vyftien eerſt aghtereenvolgende Jaaren, alleenigh te mogen verkopen, ofte doen verkopen, met verboth, dat niemant geduyrende den voorſz. tyd, eenige van dien 't ſy in 't groot of kleyn, in 't geheel ofte den deele, ofte by aparte plaaten ſoude moogen naamaaken, of op eenigerhande wyſe in kooper brengen, off buyten deeſe Provincie naagemaackt ofte in 't koper gebraght, ſoude mogen inbrengen, verruylen ofte verkopen, ofte ook de Beſchryvinge naa te drukken ofte naagedruckt in deeſe Landen te brengen op ſeeckere groote pœne by ons tegens de Contraventeurs te ſtatueeren; SOO IST, dat Wy de ſaeck en 't voorſz. verſoeck overgemerckt hebbende, ende genegen weſende ter beede van de Suppliant, uyt onſe regte wetenſchap, Souveraine Maght en Authoriteyt, den ſelven Suppliant Geconſenteert, Geäccordeert ende Geöctrojeert hebben, Conſenteeren, Accordeeren ende Octrojeeren hem mits deeſen, dat hy geduyrende den tyd van vyftien eerſt aghter een volgende Jaaren, *alle de voorſz. jegenwoordige overblyfſels der Antique Gebouwen der Stad Romen*, *door wyle* BONAVENTUFA VAN OVERBEKE *geduyrende deſſelfs verblyf in Italien naa het leven geteyckent*, *ende naderhant door den ſelven in kopere platen gebraght*, *met bygevoeghde beſchryvinge der ſelve*, binnen den voorſz. onſen Landen, alleen ſal mogen drucken, uytgeven ende verkopen; verbiedende daerom allen en een iegelyk het voorſz. Werck in 't geheel of ten deel, in 't groot off in 't kleyn ofte by aparte platen naa te maacken ofte op eenigerhande wyſe in 't koper te brengen, ofte oock de Beſchryvinge naa te drucken, off elders nagedruckt in de voorſz. onſen Lande te brengen, op verbeurte van alle de naagemaackte ofte naagedruckte, en ingebraghte ofte verkofte Exemplaren, en een boete van drie hondert guldens daer en booven te verbeuren, te Appliceeren een derde part voor den Officier die de Calange doen ſal, een derde part voor de Armen der plaatſe, daar het Caſus voorvallen ſal, ende het reſteerende derde part voor den Suppliant; Alles in dien verſtande, dat Wy den Suppliant met deeſen onſen Octroje alleen willende Gratificeeren, tot verhoedinge van ſyne ſchade, door het nadrukken van het voorſz. Werk, daar door in geenigen deele verſtaan, den inhoude van dien te Authoriſeeren ofte te Advoueeren, en veel min het ſelve onder Onſe protexië en beſcherminge eenigh meerder Credit, aanſien ofte reputatie te geeven, nemaer den Suppliant, in cas daer inne iets onbehoorlyks ſoude Influeeren, alle het ſelve tot ſynen laſte ſal gehouden weeſen te verantwoorden, tot dien eynde wel expreſſelyk begeerende, dat by aldien hy deeſen Onſen Octroje voor het ſelve Werck ſal willen ſtellen, daar van geen gëabbrevieerde ofte gecontraheerde mentie ſal moogen maacken, nemaer gehouden weeſen, het ſelve Octroy in 't geheel en ſonder eenige Omiſſie, daar voor te drucken ofte doen drucken, en dat hy gehouden ſal ſyn een Exemplaar van het voorſz. Werk, gebonden en wel geconditioneert, te brengen in de Bibliotheecq van Onſe Univerſiteyt tot Leyden, ende daer van behoorlyk te doen blycken, alles op pœne van het effect van dien te verlieſen; Ende ten eynde den Suppliant deeſe Onſen Conſente en Octroje mogen genieten als naer behooren, laſten Wy allen en een igelyk dien het aangaan magh, dat ſy den Suppliant van den inhoude van deeſen, doen laten en gedoogen, ruſtelyk, vreedelyk en volkomentlyk, genieten en gebruycken, ceſſeerende alle beleth ter contrarie; Gedaan in den Hage onder Onſen Groten Zegele, hier aen doen hangen den 18de Auguſti, in 't Jaar Onſes Heeren en Saligmaakers, duyſent ſeven hondert en ſeven.

A. HEINSIUS, vt.

Ter Ordonnantie van de Staaten

SIMON VAN BEAUMONT.

(L. S.)

PORTA


REGIA
CONSVLARIS
IMPERATORIA
Port Nomentana
Port Collina
Port Collatina
Port Flumentana
HORTVLORVM
Mons Pincius vel Collis Hortulorum
Obelis Ludovisianus
Obelis Medicaeus
obelis Populi
Ther: Diocletiani
S. Bernardus
Obelis: Barberinus
Aqua Virgo
Colum Antonini
Basil Antonini
Obelisc S. Mahuti
Maus Augusti
Pantheon
Ther Alex et Neronis
Obelis Pamphilius
Maus Hadriani
Pons Aelius
T I B E R I S
Obelis: Vaticanus
MONTES
CAPITELII
MONTIVM
RIPAE
S. ANGELI
PINEAE
TRIVII
MARTII
1 Capitolium
2 Templ. Jovis Capitolini
3 Balnea Pauli
4 Sepulcr Bibuli
5 Columna Milliaria
6 Tarpeia Rupes.
7 Domus Pilati
8 Templ Fortunae Virilis
9 Templ Herculis
10 Theatr Marcelli
11 Templ. Junonis Reginae
12 Ruin Circi Flaminii
13 Templ. Jani
14 Arc. Severi Aurificum
15 Templ Romuli
16 Templ Concordiae
17 Arc. Septim. Severi
18 Columna incognita
19 Templ Jovis Statoris
20 Fons antiquus
21 Templ Jovis tonantis.
22 Templ. Saturni.
23 Templ Antonini et Faustinae
24 Templ. Romuli et Remi
25 Templ Pacis
26 Arcus Titi
27 Templ Veneris et Romae.
28 Meta Sudans.
29 Arc Constantini
30 Templ. Palladis
31 Basilic et Forum Nervae
32 Curia Hostilia.
33 Pons Triumphalis.
34 Pons Sublicius
35 Obelisc Minervae
QVANTA OLIM FVERIT


VICTA
SERVA
PONTIFICIA
MONS ESQUILINUS
MONS COELIUS
COELIOLUS
MONS AVENTINUS
Port. Esquilina
Port. Naevia
Temp. Ven: et Cupidinis
Basil. Caii et Lucii
Amphit. Castrense
Port. Coelimontana
Tropaea Marii
Arc. Gallieni
Colum. S. Mariae majoris
Obelis. Lateranensis
Ther. Philippi
Port. Latina
Port. Metrodi
Temp. Claudii
Port. Capena
Amphit. Flavium
Aqua Neronis
Ther. Antonianae
Crabra sive Damnata
Aqua
Ther. Agrippae
Pons Fabricius
Insula Tiberina
Pons Senatorius
Pons Cestius
Port. Trigemina
Sepul. Cestii
Mons Testaceus
Vestig. Horr.
Port. Portuensis
Port. Septimiana
Port. Janiculensis
EMI MILLIARE ITALICUM
continens quingentos passus
ROMA
PONTIS
TRANS TIBERINA
RVINA DOCET



P O R T A
F L V M E N T A N A, nunc P O P V L I.



FLVMENTANA dicebatur, quod esset prope Tiberim. Docet hoc Festus, in voce *Flumentana. Flumentana*, inquit, *porta Romae appellata*, *quod Tiberis partem ea fluxisse affirmant.* Fuit haec alio loco sita, atque quo nunc est porta *Populi.* Equidem sita fuit ad ripam Tiberis, ubi nunc sunt Farnesiorum aedes; vel non longe a Campo Florae, e regione murorum, quos Ancus rex construxerat in Janiculo. Hinc Livius (*Lib.* XXXIV. *cap.* 21.) *Tiberis infestiore quam prius impetu illatus Urbi, duos pontes, aedificia multa, maxime circa portam Flumentanam evertit.* Aurelianus hanc, credo, transtulit eo loco, ubi nunc est, quando hac parte Urbis moenia protulit, quae a via Flaminia, hanc portam transeunte, nomen accepit.

POPVLI nunc vocatur, forte quia, sita in vicinia Mausolei Augusti, proceras circa se habuit populos, quibus obumbrabatur sepulcrum istud, conditum quondam prope aedem S. Rochi: vel quod Augustus silvas, huic aedificio circumdatas, publicarat in usum Populi Romani. Quamquam hoc esse verius arbitror, quod propinqua aedes B. Virginis, quam exstruxit Paschalis II. Pontifex, cognominata fuerit a Populo Romano.

Exornata haec porta fuit a Pio IV. Pont. Max. (uti probat suprapositus Nummus) columnis, ornamentis, imaginibusque SS. Petri & Pauli, juxta delineationem Michaëlis Angeli Bonarotae. Jacobus autem Barozius da Vignola opus absolvit, inscriptionemque hanc illi imposuit.



PIVS. IIII. PONTIF. MAX.
PORTAM. IN. HANC. AMPLI-
TVDINEM. EXTVLIT. VIAM.
FLAMINIAM. STRAVIT.
ANNO. IIII.

Hanc portam refecit Alexander VII. variisque ornamentis & insignibus suae gentis augustiorem reddidit, operique supra januam inserendum curavit marmoreum lapidem, cum hoc lemmate.

FELICI. FAVSTOQUE. INGRESSVI.

Quae eadem verba leguntur in Numismate quodam Pontificis hujus, exprimente effigiem Pontificis & portae ipsius. (quod hic superius etiam exhibetur) Indicatur autem hoc Titulo & Numismate felix in Urbem adventus Christinae, reginae Suecorum, Romam invitatae ab hoc Pontifice.

Haec porta e Tiburtino constructa est lapide; columnae illius e marmore factae sunt varii coloris, ordine Dorico, quarum diametros est quatuor palmorum Romanorum.



PORTA
COLLATINA, nunc PINCIANA.


OLLATINA PORTA erat proximo loco post Flumentanam. De hac Livius (*Lib.* I. *cap.* 37.) ait: *Collatia, & quidquid circa Collatiam agri erat, Sabinis a rege Tarquinio ademptum.* Nominis rationem tradit Festus, in voce *Collatia. Collatia oppidum fuit prope Romam, eo quod opes aliarum civitatum ibi fuerint collatae, a qua porta Romae Collatina dicta est.* Quin, & nostra quoque aetate, ex consuetudine Veterum, *Collatia* dicitur, quidquid agri Romani habetur circa eam portam.

Sunt qui existimant, moenia, in quibus nunc haec est porta, Belisarium exstruxisse; & idcirco portam Flumentanam & hanc nostram collocant extra Urbem antiquam. Doctiores tamen censent, a Belisario fuisse instaurata moenia, quae diu ante fuerant posita, moenibusque a Collina porta productis, Collatinam aliis fuisse additam, aut cum Flumentana eo loco, ubi nunc cernitur, translatam.

PINCIANA hoc ferme tempore dici coepit, quod proxima esset palatio senatoris Pincii. Testis Procopius, Belisarii in bello Gothico comes. (*Bell. Goth. Lib.* I. *cap.* 18.) Neque enim ab eo hoc nomine vocaretur, nisi jam prius moenia eousque prolata fuissent; atque porta isthaec habuisset id nomen, vulgo cognitum.



PORTA

AGONENSIS, QVIRINALIS, SALARIA, LAVERNALIS, SALVTARIS, nunc COLLINA.



AGONENSIS nomine appellatam testatur Festus, in voce *Agonia. Agonia*, inquit, *sacrificia, quae fiebant in monte. Hinc Romae mons Quirinalis Agonius, & Collina Porta Agonensis.*

QVIRINALEM fuisse quoque dictam, his verbis docet, in voce *Quirinalis: Quod ea in collem Quirinalem iretur; sive quod proxime eam esset Quirini sacellum.* Idem, nimirum, auctor tradit, inundato circo Flaminio, *Agonales ludos*, qui in eo celebrabantur, extra portam fuisse peractos. Ludi vero ipsi *Agonales* dicebantur; quia celebrabantur in honorem *Dei Agonii*, qui rebus agendis praeerat, teste Festo eodem, in voce *Agonium.* Antiquitus ergo his duobus nominibus hanc portam fuisse insignitam, satis constat: vel quod iis ludis rex sacrorum hostiam immolare esset solitus, quam veteres *Agoniam* vocabant: vel quod hi ludi peragerentur in montibus, quos *Agones* vocabant.

SALARIA dicebatur quoque priscis, a via nominis hujus. De hac via loquitur Plinius (*Lib.* XXXI. *cap.* 7.) *Sal apud antiquos magna auctoritate, sicut apparet ex nomine Salariae viae, quoniam illa sal in Sabinos portari consueverat.* Sive, ut Festus vult, in voce *Salaria: Quia per eam Sabini sal a mari deferebant.* In hanc viam incidit Nomentana; & nulla alia, ut constat, via commodior est euntibus in Sabinos. Testis Tacitus (*Hist.* III. *cap.* 78.) *Ut transversis itineribus per agrum Sabinum via Salaria Urbem introiret.* Quod ipsum satis luculenter patet ex hac inscriptione, seu titulo, inciso in altero latere pontis Narsetis, quem pontem fuisse ostendit viae Salariae.

IMPERANTE. D. N. PIISSIMO. AC. TRIVMPHALI. SEMPER. IVSTINIANO. PP. AVG. ANN. XXXVIIII
NARSES. VIR. GLORIOSISSIMVS. EX. PRAEPOSITO. SACRI. PALATII. EX. CONS
ATQVE. PATRICIVS. POST. VICTORIAM. GOTHICAM. IPSIS. EORVM. REGIBVS
CELERITATE. MIRABILI. CONFLICTV. PVBLICO. SVPERATIS. ATQVE. PROSTRATIS
LIBERTATE. VRBIS. ROMAE. AC. TOTIVS. ITALIAE. RESTITVTA. PONTEM. VIAE. SALARIAE. VS
QVE. AD. AQVAM. A. NEFANDISSIMO. TOTILA. TYRANNO. DISTRVCTVM. PVRGATO. FLVMINIS. ALVEO
IN. MELIOREM. STATVM. QVAM QVONDAM. FVERAT. RENOVAVIT.

Altera vero haec est; literis paulo melioribus.


QVAM. BENE. CVRBATI ◆ DIRECTA. EST. SEMITA. PONTIS ◆
ATQVE. INTERRVPTVM ◆ CONTINVATVR. ITER ◆
CALCAMVS. RAPIDAS ◆ SVBIECTI. GVRGITIS. VNDAS ◆
ET. LIBET. IRATAE ◆ CERNERE. MVRMVR. AQVAE ◆
ITE. IGITVR. FACILES ◆ PER. GAVDIA. VESTRA. QVIRITES ◆
ET. NARSIM. RESONANS ◆ PLAVSVS. VBIQVE. CANAT ◆
QVI. POTVIT. RIGIDAS ◆ GOTHORVM. SVBDERE. MENTES ◆
HIC. DOCVIT. DVRVM ◆ FLVMINA. FERRE. IVGVM. ◆

LAVERNALIS item vocabatur, quod duceret euntes ad ejus Deae templum, in via Salaria.


SALVTARIS vero appellabatur, ab aede Salutis, illi proxima.

COLLINA nunc dicitur, vel a collibus Quirinali & Viminali: vel ab Urbis tribu, quae ab hoc loco denominabatur. Varro (*de LL. lib.* IV. *p.* 16. *Ed. Scal.*) *Partes Urbis tribus dictae, & ab locis Suburana, Esquilina, Collina, Palatina.*

Tribus extra hanc portam milliaribus, Hannibal castra sua posuit, juxta amnem Anienem. Livius *Lib.* XXVI. *cap.* 10.



PORTA
VIMINALIS, FIGVLENSIS, CATVLARIA, NOMENTANA, nunc S. AGNETIS, & PIA.



VIMINALIS PORTA ſequitur Quirinalem, cum monte ejuſdem nominis, in quo ſita eſt, & ab eo dicta. Regum autem tempore, in aggere Tarquinii fuiſſe eam commemorant. Strabo (*Lib. V. ubi loquitur de Urbe*) *In aggere*, ait, *medio tertia eſt Porta, ejuſdem nominis cum colle Viminali. Viminalem* quoque nuncupatam cenſent, non a monte tantum Viminali, ſed & ab ara Jovis Viminii. Feſtus de illa ita loquitur (in voce *Viminalis.*) *Viminalis & porta, & collis appellabantur, quod ibi Viminum ſilva fuiſſe videtur, ubi eſt & ara in Viminio conſecrata.*

FIGVLENSIS etiam appellabatur, forte a figulis, qui extra illam ſuas habebant officinas.

CATVLARIAM fuiſſe NOMENTANAM, cenſent, inter Doctos, Panvinius & Donatus, moti auctoritate Feſti (in voce *Catularia.*) *Catularia*, inquit, *porta Romae dicta eſt; quia non longe ab ea, ad placandum Caniculae ſidus, frugibus inimicum, rufae canes immolabantur, ut fruges flaveſcentes ad maturitatem perducerentur.* Huc ſpectat etiam Ovidii teſtimonium (IV. *Faſtorum* ℣. 905. *prope finem.*)

Hac mihi, Nomento Romam cum luce redirem,
Obſtitit in media candida pompa via.
Flamen in antiquae lucum Rubiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ovis.

Paullo infra rationem hujus ſacrificii adſcripſit Poëta (℣. 941.)


Pro cane ſidereo canis hic imponitur arae:
Et, quare pereat, nil niſi nomen habet.

S. AGNETIS eadem nunc dicitur, ab aede huic Divae ſacra, extra pomoerium.

PIA vocatur hodie etiam, quia Papa Pius IV. veterem clauſit, & aliam, huic proximam, ampliorem exſtruxit in formam auguſtiorem, deque ſuo nomine appellari voluit, hoc in marmore inſculpto titulo,

PIVS. IIII. PONT. MAX.
PORTAM. PIAM.
SVBLATA. NOMENTANA. EXTRVXIT.
VIAM. PIAM.
ÆQVATA. ALTA. SEMITA.
DVXIT.

Pilae ſtriatae prope baſin latae ſunt palmos Romanos quatuor, cum dodrante, operis Dorici. Ipſa porta lapide conſtat Tiburtino, ornamentis ex marmore confectis.



PORTA

QVERQVETVLANA, nunc CLAVSA.



OBstructa nunc haec est porta, quam nostrae aetatis plerique *Inter-aggeres* nominarunt, omni tamen probabili ratione nominis hujus carentes: siquidem longe ab ea positus fuit, qui *Tarquinii agger* dicitur. Et quum Urbis ambitus adhuc angustior esset, in medio ejus aggeris reperiebatur *porta Viminalis*.

Ego autumo, a Plinio *Querquetulanam* dici (*Lib.* XVI. *cap.* 10.) *Silvarum certe distinguebatur insignibus. Fagutali Jovi etiam nunc, ubi lucus Fageus fuit; porta Querquetulana; colle, in quem Vimina petebantur.* Erat igitur Viminum silva in colle Viminali, unde & huic colli nomen. Ejus latitudo, relicto ambitu vivarii, perficitur paullo plus stadiis tribus: & muri prius extendebantur fere a porta nunc *S. Agnetis* ad hanc *Clausam*, si fundamenta operis spectes. Ergo liquet, absurdum esse, si quis dixerit, spatio tam exiguo portam, nomine *Inter-aggeres*, positam fuisse inter *Viminalem* & *Querquetulanam*, quarum alteram Strabo, (*Lib.* V. ubi de *Roma*) alteram vero Plinius (*loco citato*) in eodem Viminali fuisse scribunt.

Nonnulli tamen volunt, *Querquetulanam* in monte Coelio stetisse, quoniam Tacitus (*Ann.* IV. *cap.* 65.) scribit: *Coelium montem Querquetulanum prius vocitatum.* Et Festus inquit: *Nymphas Querquetulanas appellatas, praesidentes querqueto, quod genus silvae erat intra portam, quae ab ea dicta sit Querquetulana.*

Itaque hinc satis patere existimo, portam *Querquetulanam* eam esse, quae nunc *Clausa* est, prope Castrum Praetorium, vel non longe ab eo.



PORTA

EXQVILINA, METIA, PRAENESTINA, TIBVRTINA, TAVRINA, LIBITINA, nunc S. LAVRENTII.



EXQVILINA ab exquiliis, ubi fuerat condita, dicitur. Testis Horatius (V. *Epod. v.* 100.)

Post insepulta membra different lupi,
Et Exquilinae alites.

Nec dissentit Tacitus, qui (*Lib.* II. *Annal. cap.* 32.) scribit: *Sumptum more prisco extra portam Exquilinam de nocentibus supplicium.* Porphyrio ad Horatium notat, in regione Aggeris, extra portam Exquilinam, solita fuisse pauperum corpora vel comburi, vel projici. Projecta fuisse dicto loco docet Horatius; combusta Plautus. (*Casina. Act.* II. *sc.* 6. *v.* 2.)

Ch. *Illum aedepol videre ardentem te extra portam Metiam.*
Cl. *Credo ecastor velle.*

METIAM aliquando eam fuisse dictam hinc liquet.

Istis in locis (*R. P. Bernardus Montefauconius, in Diario suo Italico*) vivarium erat, teste Procopio (*Hist. Gothic. Lib.* I. *cap.* 19. *fere in fine.*) sive receptaculum animalium, ad Urbis moenia, proxime portam Exquilinam, non autem propter castra Praetoriana, ut Ligorio visum, refragante apertissime Procopio. Ligorium secuti sunt plerique omnes, qui Romae ichnographiam ediderunt; & quod mirum, nullo alio, quam Procopii testimonio, qui tamen diserte ad portam Exquilinam vivarium locat.

PRAENESTINA etiam dicitur, quia per eam tenditur Praeneste versus. Nunc illi nomen est *Palestrina.*

Flaminius Vacca (quondam non ignobilis sculptor Romanus, qui Romae floruit sub finem seculi XV. cujusque schedas Italicas suo Diario inseruit, Latinoque sermone edidit Montefauconius) a porta *S. Laurentii* viam Praenestinam semper ducit. Et sane isthac Praeneste olim itum fuisse, non absimile vero; quando P. Victor *portam Tiburtinam, Gabinam* item nuncupat, a *Gabiis*, qui ad viam Praenestinam erant.


TIBVRTINA vocatur, quia per eam iter est versus Tibur.

TAVRINAE nomen accepit, a reperto ibidem loci capite tauri; uti id ostenditur in coelato tauri capite, quod conspicitur in fronte interiore ipsius portae.

LIBITINA fuit quoque dicta, quoniam per eam efferrentur cadavera mortuorum, in campum Exquilinum, commune plebis sepulcrum. Vox autem *Libitinae* & Deam ipsam significat, & opus libitinariorum. In hujus quoque Deae templo vendebantur & locabantur, quae ad sepulturam spectabant.

S. LAVRENTII hodiernum illius nomen est. Is quippe martyr ustus est super cratem ferream, impositam ardentibus prunis, in *Viminali*, ubi nunc est aedes *S. Laurentii*, cognomento in *Panisperna*, sublatus eadem nocte a S. Hippolyto, & per Exquilias extra Urbem coemeterio Cyriacae, in agro Verano, sepultus est. Refert autem Anastasius, in S. Silvestro, fuisse hoc in loco exstructum templum, in honorem S. Laurentii, a Constantino. *Eodem*, dicit, *tempore Constantinus Augustus fecit Basilicam Beato Laurentio Martyri, via Tiburtina, in agro Verano, supra arenarium cryptae, &c.* Nomen vero *Panispernae* Montefauconius probabiliter vitiatum censet, ex nomine *Perperna*, cujus inscriptio istic reperta fuit. Hinc enim, corrupto per plebejum usum vocabulo, *Panisperna* factum fuit. Ecclesia vero haec eo loco structa fertur, quo S. Laurentius in craticulam conjectus est; ajuntque, craticulae partem istic asservari. Ex actis porro S. Laurentii habemus, ibidem olim fuisse thermas Olympiadis.





P O R T A

LABICANA, LAVERNALIS, NAEVIA, RAVDVSCVLANA, nunc M A I O R.

ABICANAM Plinius portam hanc appellatam ſcribit a via, quae per eam ducebat. Verba Plinii ſunt (*Lib.* XXXVI. *cap.* 5.) *Mars eſt etiam nunc ſedens coloſſeus, ejuſdem in templo Bruti Callaici, apud circum eundem, ad Labicanam portam eunti.*

LAVERNALIS dicitur a *Laverna*, Dea furum, quae ſi extra hanc portam habuit aram, fuit etiam eidem Deae lucus extra portam Collinam, illi propinquam, docente Acrone, in Horatium (*Lib.* I. *Epiſt.* XVI.)

NAEVIA vocatur a pleriſque, quae Exquilinae eſt proxima, *quod* ſita eſſet *in nemoribus Naeviis*, ut ait Varro. *Naevius enim loca, ubi ea ſic dicta, coluit. Naevia ſilva dicta juxta Urbem, quod Naevii cujuſdam fuerit*, auctore Feſto, in voce *Naevia.*

RAVDVSCVLA porta, inquit Varro, *quod aerata fuit. Aes raudus dictum, ex eo in veteribus mancupiis ſcriptum, rauduſculo libram ferito.* Hujus portae mentionem quoque facit Valer. Maximus (*Lib.* V. *cap.* 6. *Exemplo* 3.) *Dignam pietatem, quae quod ad ſolidam gloriam attinet, ſeptem regibus praeferatur, cujus teſtandae rei gratia capitis effigies aereae portae, qua exceſſerat, incluſa eſt, dictaque Rauduſculana, quod olim aera raudera dicebantur.*

MAIOR porta nunc appellatur, forte quod aedificata ſit cum ingenti operis magnificentia, unde & *Aquae Claudiae Caſtellum* vocatur. Ejus conditorem Beliſarium fuiſſe crediderim; ille ſiquidem Urbis muros, a Gothis dirutos, reſtituit. Verumtamen alium in locum tranſlatam ab eodem fuiſſe, veriſimile mihi videtur; quod Veteres non ſolerent Aquaeductuum formis, vel Caſtello, portas ſubjicere.

Hunc autem Aquaeductum pertranſibant Aquae triplices, *Aqua Julia, Aqua Claudia,* & *Aqua Martia.*

Tres hic viſuntur Inſcriptiones memorabiles.

Prima Inſcriptio haec eſt, quatuor verſuum; ſed diſſentiunt Viri Docti in ea interpretanda & legenda.



TI. CLAVDIVS. DRVSI F. CAISAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIF. MAXIM
TRIBVNICIA. POTESTATE. XII. COS. V. IMPERATOR. XXVII. PATER. PATRIAE
AQVAS. CLAVDIAM. EX. FONTIBVS. QVI. VOCABANTVR. CAERVLEVS. ET. CVRTIVS. A MILLIARIO. XXXXV
ITEM. ANIENEM. NOVAM. A. MILLIARIO. LXII. SVA. IMPENSA. IN. VRBEM. PERDVCENDAS. CVRAVIT

Altera, quae hic legitur, Inſcriptio haec eſt.



IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVGVST. PONTIF. MAX. TRIB. POT. II. IMP. VI. COS. III. DESIG. IIII. P. P
AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA. INTERMISSAS. DILAPSASQVE
PER. ANNOS. NOVEM. SVA. IMPENSA. VRBI. RESTITVIT

Tertiae Inſcriptionis haec ſunt verba.



IMP. T. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNIC
POTESTATE. X. IMPERATOR. XVII. PATER. PATRIAE. CENSOR. COS. VIII
AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA
A. DIVO. VESPASIANO. PATRE. SVO. VRBI. RESTITVTAS. CVM. A. CAPITE. AQVARVM. A. SOLO. VETVSTATE. DILAPSAE. ESSENT. NOVA. FORMA. REDVCENDAS. SVA. IMPENSA. CVRAVIT

Conſtitit haec porta tribus portis, conſtructis opere ruſtico, ex Tiburtino Lapide.



P O R T A
COELIMONTANA, ASINARIA, LATERANA, nunc S. IOANNIS.


OELIMONTANAM ad portam pervenimus, denominatam a Monte, in cujus margine fuit condita. L. Corn. & Q. Minutio Coss. Fulminis igne tactam fuisse docet Livius (*Lib.* XXXV. *cap.* 9.)

ASINARIA dicta fuit, temporibus posterioribus. Testis Procopius (*Lib.* I. *de Bello Gothic. cap.* 12.) *Contigit autem, ut die una, eodemque tempore, & Belisarius cum Imperatoris exercitu, per portam, quam Asinariam dicunt* (Neapoli enim veniebat) *Urbem iniret, & per Flaminiam Gothi excederent.* Hanc Anastasius Bibliothecarius, *in vita Silverii Papae*, Lateranensi Basilicae proximam fuisse affirmat. *Veni*, inquit, *ad portam Asinariam, juxta Lateranos, & Civitatem tibi trado.* Quamobrem haec Fulvii quoque sententia est, *Asinariam* dictam fuisse hanc portam, quod per eam intrarent *asinarii*, venientes e Neapolitano regno ad Urbem. Alii collocant portam Asinariam inter Coelimontanam & Latinam, quae erat sita ad viam Asinariam, unde denominabatur. Hac deinde porta obstructa, Asinariae nomen translatum fuit in portam Coelimontanam.

Via Campana incipit ab hac porta, cujus meminit Suetonius, & aliquot antiquae Inscriptiones (*In opere Gruteri pag.* DCXI. *n.* 13.)

H V I C
MONVMENTO. ITER
ADITVS. AMBITVS. DEBETVR
EX. SENTENTIA. EROTIS. AVG. L
IVDICIS. A. VIA. CAMPANA
PVBLICA. &c.

Et alia Inscriptio Neapoli (*apud Gruterum pag.* CCCLXXIV. *n.* 5.)

M. BASSAEO. M. F
PAL. AXIO
PATR. COL. CVR. R. P
II. VIR. MVNIF. PROC. AVG
VIAE. OST. ET. CAMP. &c.

Via item *Tusculana* initium cepit, vel ab hac porta, vel non longe ab ea, ex hac eadem via Campana. Hanc Tusculanam viam una cum Albana instauravit M. Messala, sub Augusto Caesare. Testatur id Tibullus (*Lib.* I. *Eleg.* 7.)

Nec taceam monumenta viae, quae Tuscula tellus
Candidaque antiquo detinet Alba lare.
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur, hic apta jungitur arte silex.

LATERANENSIS quoque dicebatur, quod proxima esset Palatio Lateranensium Familiae. Et visuntur hic, in toto ambitu moenium reliquo, simulacra fenestrarum veteris Palatii Lateranensis.

S. IOANNIS LATERANENSIS hodie vocatur, quia adjacet Basilicae nominis hujus.

Restaurata est mandato Papae Gregorii XIII. Pontif. Max. prout haec nos docet Inscriptio.

✠
GREGORIVS. XIII. PONT. MAX.
PVBLICAE. VTILITATI. ET.
VRBIS. ORNAMENTO. VIAM.
CAMPANAM. CONSTRAVIT.
PORTAM. EXTRVXIT.
ANNO. M. D. LXXIIII.
PONT. IIII.

Tota haec porta fabricata est e Lapide Tiburtino.






PORTA

GABIVSA, & METRONIS, vel METRODII.


ABIVSAM hanc portam plerique existimant fuisse in angulo murorum, sub Coeliolo, quae porta nunc clausa est. Nomen traxit exinde, quod iter aperiret in Gabios, cui oppido, jam diu diruto, successit hodiernum *Gallicanum.*

Et haec quidem illa clausa & obturata porta est, per quam Aqua Marrana, a Mariano oppido nomen habens, teste Fabricio (*Descr. Urbis Romae. cap.* 15.) Romam ingreditur. Haec autem Marrana eadem est, quae vocatur Aqua Crabra, oriturque prope locum Frascati dictum, & quum subter portam Gabiusam Romam intravit, Circum Maximum transiens, in Tiberim tandem se exonerat.

METRONIS eam S. Gregorius (*Lib.* IX. *Epist.* 69.) appellat. *Ascensis*, inquit, *caballis*, *per Metronis portam exeuntes*, *ut eos in Latinam*, *vel Appiam viam sequerentur.* Porta obinde haec *Gabiusa*, & *Clausa*, creditur fuisse eadem, cum *porta Metronis* & *Metrodii*, propter nominis similitudinem, & quia S. Gregorius eam ponit non longe a via Latina & Appia.



PORTA

VALERIA, FERENTINA, PIACVLARIS, nunc LATINA.


ALERIA PORTA vocatur à Via *Valeria.*

FERENTINA dicitur haec eadem, ab oppido Hernicorum. Etenim Strabo (*Lib.* V.) *in via Latina Ferentium urbem fuisse asserit.* Dubium igitur non est, quin haec porta sit eadem, quam Plutarchus (*in Romulo, ubi de prodigiis*) *Ferentinam* nominavit. Rationem addit, dicens: *Romulus expiationibus civitates expurgavit, quas adhuc etiam Ferentinam ad portam observari tradunt.* Sunt, qui ita dictam volunt, quod per eam iter esset proficiscentibus ad *Ferentinos*, Hernicorum populos. Et fortasse a *Ferentino*, Latinorum castello, nomen est sortita, quod in ea via fuit. Veritas tamen silentio praetereunda non est. Denominabantur siquidem portae, vel a proximis, vel a maxime celebribus, & frequentioribus locis. Castellum vero *Ferentinum* nullius erat nominis, & vix notum, longiusque Roma aberat, quam *Anagnia*, vel *Compitum*, vel *Roboraria.* Existimo igitur, *Ferentinam* portam, & *S. Joannis*, aut aliam in vicinia, eandem esse, dictamque a celebri nemore, aut fano *Ferentino*, quo communis totius Latii populorum conventus celebrabatur, in cujus aquis Turnus Herdonius est submersus, dolo Tarquinii Superbi. Livius (*Lib.* I. *cap.* 51.) Cluverius autem satis certis probat argumentis, fuisse hoc Templum, aquasque illius, prope Antrum Ferratum, & Marinum.

PIACVLARIS quoque dicebatur, auctoribus Plutarcho, *ab expiationibus a Romulo ibi institutis*, ut modo audivimus: & Festo, in voce *Piacularis*, dicente: *Piacularis porta Romae appellatur, propter aliqua piacula, quae ibidem fiebant; vel, ut ait Cloatius, ex sacro, quod per aliquem piaculo solvitur; aut aliqua piandi propitiandique caussa immolatur.*

LATINA porta, ante mille annos, dicebatur, quod exeuntes per eam duceret in Latium. Et manet etiam nunc hoc illi vetus nomen. Primum tamen & antiquissimum ignoratur.





P O R T A

CAPENA, APPIA, CAMOENA, FONTINALIS, MADIDA, nunc S. SEBASTIANI.



APENA PORTA Latinam proxime ſequitur. Nominis Etymon habet Solinus. *Italum regem ex Sicilia cum Syracuſanis ad Janum veniſſe, ac ejus conſilio auxilioque civitatem juxta Albam condidiſſe, Capenam nomine, & ab ea poſtmodum Capenam portam denominatam.* Servius Grammaticus aliam adfert Etymologiam, qui ſuper hoc Virgilii loco (*Lib.* VII. *AEn.* 697.) *Lucoſque Capenos*, ſcribit: *Unde* (*hoc eſt a Capenis lucis*) *& porta Capena, quae juxta Camoenas eſt, nomen accepit.* Cum eo conſentit Aſconius Pedianus, notans; *extra hanc portam lucum, & aedem Camoenarum fuiſſe.* Revera autem varia hujus nominis derivatio adfertur. Aut enim deducitur a Capenatibus populis Latinis, aut a Capenate fluvio, aut a Capena, Urbe prope Albam, ab Italo rege conditam.

Frequens hujus portae fit mentio apud Poëtas, Propertius (*Lib.* IV. *Eleg.* 3. *in fine.*)

Armaque cum tulero portae votiva Capenae.

Juvenalis (*Sat.* III. *v.* 11.)

Subſtitit ad veteres arcus, madidamque Capenam.

Ad quae verba Vetus Scholiaſtes ſcribit: *Madidam ideo, quia ſupra eam aquaeductus eſt, quem nunc appellant Arcum ſtillantem.* Martialis (*Lib.* IV. *Epigr.* 47.)

Capena grandi porta qua pluit gutta.

APPIA fuit etiam appellata, a via Appia, eam tranſeunte. Frontinus enim docet fuiſſe eam in via Appia. Verba ejus ſunt (*De Aquaeductibus Lib.* I.) *Appius Cenſor viam Appiam a porta Capena uſque Capuam munivit.*

CAMOENA fuit etiam a nonnullis vocitata. Teſtantur enim Aſconius Pedianus, Servius, Victor & Sext. Rufus; aedem Camoenarum fuiſſe extra hanc portam, & obinde hoc nomine olim cognitam.


FONTINALIS nomen accepit ab ubertate fontium, uti volunt aliqui.

MADIDAM Juvenalis vocat, quod depreſſo loco eſſet condita, quamvis alii ita denominatam velint, propter Aquaeductum. Priorem ſententiam firmare videtur Cicero, ad Q. Fratrem (*Lib.* III. *Epiſt.* 7.) ſcribens. *Romae & maxime Appia, ad Martis, mira proluvies; Craſſipedis ambulatio ablata, horti, tabernae plurimae, magna vis aquae uſque ad piſcinam publicam.*

S. SEBASTIANI nomine nunc dicitur, propter Sancti hujus templum, quo per illam iter eſt.

Eſt vero obſervandum, in effigie addita exhiberi partem interiorem hodiernae portae Capenae, quae propter elegantiam aedificii exiſtimatur quaedam pars eſſe reliqua cujuſdam Arcus Trajani: ſiquidem Donatus in Roma ſua (*Lib.* III. *cap.* 13.) ex Victore notat; in hac Urbis regione exſtitiſſe Arcum Trajani, diverſum ab eo, qui in Foro Imperatoris hujus viſitur. Accedit, quod canalis Aquaeductus tranſit per Zophorum portae ipſius, aquas uſque in Thermas Antoninianas devehens, & in montem Aventinum: neque tamen ſoliti erant Romani formis aquaeductuum portas ſubjicere, prout jam diximus in explicatione portae Majoris.




S. PETRE
ORA PP

PORTA

NAVALIS, TRIGEMINA, OSTIENSIS, nunc S. PAVLI.



NAVALIS dicitur, quia in propinquo aderant Romanorum Navalia, Aventinum inter & Tiberim, non autem in regione Transtiberina, ut falso aliis fuit persuasum.

TRIGEMINAE portae veteris vestigia novimus exstare in vineto ad Tiberim. Fuit haec enim alium in locum ab Imperatore Claudio translata, quum prius non longe abesset ab aede S. Mariae Scholae Graecae. Plinius refert, tenues extra hanc solitos stipem petere (*Lib.* XXXIV. *cap.* 5.) dicens: *Extra portam Trigeminam, unciaria stipe collata.* Et Plautus eodem alludit, *in Captivis* (*Act.* I. *Sc.* I. ℣. 22.) ubi sic loquitur Parasitus.

Vel extra portam ire Trigeminam ad sacculum licet:
Quod mihi ne eveniat, nonnullum periculum est.

Trigemina fuit denominata, quod ea contra Curatios Trigemini Horatii egressi sint, ut Scriptores quidam antiqui volunt. Sed alii censent, quod, tempore Horatiorum, ad Aventinum muri Romani non porrigerentur: quamobrem multo sit verisimilius, Horatios porta Trigonia (quae in muro Romuli Aventinum spectabat) egressos, & propterea posteros, deceptos similitudine vocabulorum *Trigoniae*, & *Trigeminae*, nomina distincta confudisse.

OSTIENSIS dicebatur, quod ab hac porta initium caperet via Ostiensis, non admodum longa, quae duceret Ostiam. Hoc nomine ejus portae mentionem faciunt Ammianus Marcellinus, Procopius, & alii ejus aetatis Scriptores.

S. PAVLI hodie vocatur a templo, ad quod per illam itur, quodque, a Constantino erectum, amplificarunt postea Augusti alii.



P O R T A

N A V A L I S, R I P A E, V I N A R I A, nunc P O R T V E N S I S.



NAVALIS PORTAE meminit Feſtus, in voce *Navalis. Navalis*, inquit, *Porta a vicinia navalium dicta.* Haec autem ante alias Navalibus propior adjacet. Hanc ergo *Navalem* antiquo nomine dictam fuiſſe nullus dubitaverim.

RIPAE porta vocatur etiam hodie, quia condita eſt in ripa Tiberis.

VINARIAE nomine fuit quoque cognita, quod prope eam vina externa, & in primis Campana, ac Tuſca venderentur. Erant autem in ambitu Tranſtiberino tres portae, & inter eas haec *Portuenſis*, quod ad portum Oſtienſem duceret, ubi muri feruntur refecti ab Arcadio & Honorio; aliae duae portae fuerunt *Aurelia*, & *Septimiana.*

PORTVENSIS nunc dicitur, quia per eam iter eſt ad portum Romanum, ſeu Oſtienſem, a Claudio Imperatore exſtructum, & totius quondam Orbis clariſſimum. Secundum Tiberim, prope hanc portam, fuerunt horti Julii Caeſaris.

Legebatur olim ſupra portam Veterem haec ſequens Inſcriptio, quae exſtat apud Gruterum (*pag.* CLXV. *n.* 1.)

S . P . Q . R

IMPP. CAESS. DD. NN. INVICTISSIMIS. PRINCIPIBVS. ARCADIO. ET. HONORIO. VICTORIBVS. AC. TRIVMFATORIBVS. SEMPER. AVGG
OB.INSTAVRATOS.VRBI.AETERNAE.MVROS.PORTAS.AC.TVRRES.EGESTIS.INMENSIS.RVDERIBVS.EX.SVGGESTIONE.V.C.ET.INLVSTRIS
MILITIS. ET. MAGISTRI. VTRIVSQVE. MILITIAE. AD. PERPETVITATEM. NOMINIS. EORVM. SIMVLACRA. CONSTITVIT
CVRANTE D. N. M. Q. EORVM


In hujus Inſcriptionis explicatione & lectione non conſentiunt Viri Docti. Vox enim STILICONIS, in Textu Inſcriptionis omiſſa, & penitus propemodum in Lapide eraſa, a quibuſdam Viris doctis additur; qui & Verſus ultimi Lacunam ita ſupplendam cenſent; FL. MACROBIO. LONGINIANO. V. C. PRAEF. VRBIS.

Hanc portam poſtea reſtauravit Papa Innocentius X. ut inſignia illius ſupra eam poſita oſtendunt. Tota eſt ex lapide Tiburtino. Architectus ejus fuit Marcus Antonius de Rubeis.



PORTA
AVRELIA, IANICVLENSIS, TRAIANI, nunc S. PANCRATII.





AVRELIA PORTA, secunda Janiculi, nomen accepit, vel ab *Aurelio* viro Consulari; vel ab oppidulo Hetruscorum prope Ostiam condito, quod *Forum Aurelii* dicebatur; vel ab *Aurelio Imperatore*; vel a *via Aurelia*, quae per eam exibat per maritimam Tusciae oram, agros & silvas, atque Pisas usque extendebatur. De hac via Cicero loquitur (*Philip.* XII. *cap.* 9.) *Tres viae sunt ad Mutinam, a supero mari, Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia.*

In hac Via, uti & in aliis viis, *Flaminia*, *Appia*, *Latina*, etiamnum conspiciuntur multi loculi, urnae & sepulchra antiqua, sed vetustate collapsa. Viae hujus mentionem fieri vidi in Inscriptione marmorea, apud Onuphr. Panvinium, in Descript. Urb. Rom. in Graeviani Thesauri *Tom.* III. *pag.* 260.

. . . .
M. F. GAL. PRIMVS. X. VIR. STLI
IVD. TRIB. LEG. VII. GEM. FELICIS
HISPAN. CITERIORIS. Q. VRBANO
AEDILI. CVRVL. PRAETORI. CVRAT
VIAE. AVRELIAE. PRO. COS. LY
CIAE. PAMPHILIAE. COS
POLIMVS. LIB

Sunt & qui censent portam hanc nomen suum accepisse a Tribunali Aurelio, cujus meminit Cicero (*in Pisonem cap.* 5.) *Persequere connexos his funeribus dies. Pro Aurelio Tribunali, ne connivente quidem te, quod ipsum esset scelus.* Haec porta & nomen & locum suum amisit, quum Papa Leo IV. pomoerio prolato, Vaticanum montem hortis & Basilica S. Petri, Palatioque Pontificio ornaret.

IANICVLENSIS nomen habuisse eam liquet, quod sita erat in cacumine seu dorso *Janiculi* montis, a quo & *pons Janiculensis* denominatur, sed Aureliae nomen est vetustius. *Janiculi* vero montis nomen a *Jano* manasse fertur, unde in eodem monte *porta Aurelia* hoc nomine fuit cognita, quae seculo XIII. etiam *Aurea* dicta fuit, teste Scriptore Anonymo apud Montefauconium, in Diario.

TRAIANA & *Consularis* fuit etiam aliquando dicta, ut aliqui volunt; sed auctoritate carent testium, fide dignorum.

S. PANCRATII porta hodie nominatur, a propinquo eidem Templo *S. Pancratii.* Saepe Procopius meminit portae hujus, quam modo *Pancratianam*, modo *S. Pancratii* appellat. (*de Bel. Goth. Lib.* I. *cap.* 15.) *Inter haec*, inquit, *Bessas, qui Praenestinam portam custodiendam acceperat, ad Belisarium misit, qui nuntiaret, teneri ab hostibus Urbem, per portam aliam ingressis, quae supra Tiberim est, & S. Pancratii dicitur.* Et (*cap.* 18.) *Ad portam vero Pancratianam, quae trans Tiberim est, quum hostium*

copiae

copiae pervenissent, ob loci difficultatem, nihil per eos gestum memoria dignum est: namque locus acclivis, & ea e regione murus ad invadendum difficilis.

In hac porta Janiculensi talem Inscriptionem posuit Papa Vrbanus VIII.



VRBANVS. VIII. PONT. MAX.
ABSOLVTIS. CIVITATIS. LEONINAE. MONVMENTIS.
ET. MOENIBVS. AC. PROPVGNACVLIS. AD. TYBERIM.
VSQVE. EXCITATIS. IMMINENTEM. VRBI. IANICVLVM.
ET. TRANSTYBERINAM. REGIONEM. CIRCVMDVCENS.
PVBLICAE. SECVRITATI. PROSPEXIT.
ANNO. DOMINI. M. DC. XLIV. PONTIF. XXI.

Marcus Antonius de Rubeis, Architectus, fecit delineationem portae hujus ea forma, qua nunc conspicitur. Tota constructa est ex Lapide Tiburtino.





P O R T A
FONTINALIS, SVBTVS-IANVM, nunc SEPTIMIANA.



ONTINALIS prisco nomine nuncupatur, hoc est, *Sacra Deabus Fontium.* Auctor Festus, in voce *Fontinalia. Fontinalia, fontium sacra, unde & Romae Fontinalis porta.* Livius (*Lib.* XXXV. *cap.* 10.) *AEdiles alteram porticum ad portam Fontinalem, ad Martis aram, qua in campos iter esset, perduxere.* Per *campos* intelligit *Vaticanos.* Et fiebant ad hanc portam Fontium sacra, coronatis pueris & fontibus. Arbitrantur aliqui, hanc portam, & *Capenam* eandem esse. Sed Livius (*Lib.* XXXIII. *cap.* 11.) eas diversas esse ostendit, & de *Capena* quidem loquitur; de *Fontinali* vero loco citato. *Fontinalis* meminit vetus hoc Epigramma, quod legitur in Onuphrii Panvinii Descript. Urb. Romae, in Thesauri Graeviani *Tom.* III. *pag.* 258.

DIS. MANIBVS
A. . APIDI
MAIIORIS
TABELLARI
A. PORTA
FONTINALI

SVBTVS-IANVM Blondus interpretatur vocem *Settignana*, quo nomine haec porta quoque dicitur; ab eodem etiam existimatur esse *Vetus Fontinalis*, ob aquarum scaturientium antiquissimos ductus ac siphones, ipsius illic tempore repertos.

SEPTIMIANA vero dicenda fuerat, ut liquet e Spartiano (*in Septimio Severo. cap.* 19.) *Opera ejus*, inquit, *publica exstant Septizonium, & thermae Septimianae, in Transtiberina regione ad portam sui nominis.* Etenim hic Imperator eam de suo nomine dici voluit, teste eodem Spartiano, ubi refert; eum exstruxisse thermas in Janiculo, ad portam sui nominis. Erat ibi quoque *Janus Septimianus* cum ara, quae non parvum sunt hujus rei argumentum. Et affirmant aliqui, in Fastigio Frontis portae hujus, Septimii Imperatoris nomen fuisse insculptum. Est haec tertia porta Janiculi, in ordine omnium ultima. Porta haec sequentem Inscriptionem habet.

ALEXANDER. VI.
PONT. MAXIMVS.
OB. VTILITATEM. PVBLICAM.
CVRIAE S. P. Q. R.
A. FVNDAMENTIS. RESTITVIT.

a. 16



TEMPLVM

FAVNI, sive CLAVDII,

nunc S. STEPHANI ROTVNDVM.



EMPLVM hoc exstat, in montis Coelii dorso medio. Forma ejus circularis est. Olim creditur *Fauno* dicatum fuisse, nunc *Divo Stephano* sacrum habetur.


Faunus dicitur ἀπὸ τῆς φωνῆς, quod futura praediceret voce, non signis. Et hunc quidem Deum, ex peregrinis, aliquando solum Romani coluere. Victor *de orig. gent. Rom. cap.* 4.

CLAVDII Templum hoc etiam fuisse fertur. Intelligitur autem *Caesar Claudius*; teste Sexto Rufo. Quamprimum enim Nero Imperium fuerat adeptus, Claudium retulit in Divos, decrevitque ei Templum & Flaminem Claudianum. Docet id Tacitus (*in fin. Lib.* XII. *cap.* 69.) *Coelestes*, ait, *honores Claudio decernuntur.* Suetonius (*Neron. cap.* 9.) *Orsus hinc a pietatis ostentatione, Claudium apparatissimo funere elatum laudavit, consecravitque.* Scribit itaque Dion (*in Claudio Lib.* LX.) *L. Julium Gallionem, fratrem Senecae, dixisse, Claudium unco in coelum tractum fuisse, quia fuerat necatus. Et Nero ipse dicebat, boletos cibum Deorum esse, quod Claudius boleto, veneno infecto, in numerum Deorum relatus fuisset. Agrippina ergo illi templum facere coepit, sed Nero diruit, postea Vespasianus instauravit.* Suetonius (*in Vespasiano cap.* 9.) *Fecit Templum D. Claudii in Coelio monte, coeptum quidem ab Agrippina, sed a Nerone prope funditus destructum.*

Sphaericum erat, & in orbem ornatus gratia habebat columnas, aequaliter dispositas. Ordo autem columnarum triplex fuisse creditur. Hortus adjunctus extremi ordinis tantum monstrat reliquias. Fuit ergo triplici ambitu, & porticibus splendidissimum, atque quoad structuram unum ex elegantissimis, antiquitate ex vetustissimis, spatio ex amplissimis.

Nardinus cum Donato ejus est sententiae, ut neget tam elegans & arte summa constructum templum convenire Fauno, agresti & silvestri Deo. Sed haec sententia facile corruit. Faunus enim unus fuit ex primis Italiae Regibus: quamquam & alii existimant, templum hocce *Bacchi* fuisse, quoniam Rufus & Victor illius templum in monte Coelio collocant. Nardinus vero cum Donato censent, Victorem & Rufum recte tradidisse; fuisse hoc templum *Claudii*, non *Fauni*; quod & Suetonius voluisse putatur, in locis jam supra commemoratis. Blondus certe sua aetate hanc Ecclesiam describit, ceu unam ex pulcherrimis totius Urbis, testaturque obductam & vestitam fuisse crustis marmoreis, & undequaque opere Musivo ornatissimam.

Simplicius I. Pont. Max. hoc templum reaedificavit, An. Christ. CCCCLXVII. dedicavitque illud *S. Stephano*, Martyrum Principi, teste Platina, in ejus vita.



TEMPLVM
VENERIS & CVPIDINIS.



Templvm Veneris & Cvpidinis haud procul a porta Naevia fuisse, tradunt Auctores. Antiquarii autem Veneris & Cupidinis templum stetisse existimant, ad dextram Basilicae Sessorianae, ubi etiam nunc ostenduntur ingentia veteris aedificii rudera.

Templum profecto Veneris & Cupidinis, & Basilica Sessoriana pro aedificio uno & eodem haberi nequeunt. Templum enim Sanctae Crucis in Hierosolymis a Constantino Magno superstructum est fundamentis Basilicae Sessorianae. Ruinae vero Templi Veneris & Cupidinis aliquanto spatio inde absunt, quod egomet praesens observavi, vidique.

Notandus est Ovidii locus (e *Lib.* I. *Art. Amat.* ℣. 69.) pessime a Fulvio adductus;


Aut ubi muneribus nati sua munera mater
Addidit, externo marmore dives opus.

Nam nulla hic est designatio situs Templi cujusdam; & Poëta intelligi potest de alio quovis aedificio; & quae praecedunt apud Poëtam ℣. 67. multo id probant clarius.

Tu modo Pompeja lentus spatiare sub umbra,
Cum sol Herculei terga Leonis adit.

Donatus etiam (*Lib.* III. *cap.* 17. *sub finem*) hunc Ovidii locum interpretatur de Porticu Octaviae, vicina Theatro Marcelli, cujus illa mater erat.

28



TEMPLVM

ROMVLI, ad radices MONTIS PALATINI, nunc S. THEODORI.

ROMVLI TEMPLVM ſtetit quondam ad montis Palatini radices, in lateris ejus medio, quod eſt verſus Capitolium, ubi nunc eſt aedes ſacra Divo Theodoro. Dionyſius id intellexit, dicens (*Lib.* I. *cap.* 50.) in narratione hiſtoriae hujus, (*pag. mihi* 65.) *Antrum viſitur, Palatinis conjunctum aedificiis, ſecundum viam, quae in Circum fert. Et in propinquo eſt area, caſum hunc, aere antiqui operis expreſſum ſervans, lupam videlicet duobus pueris ubera praebentem.* Oſtenditur hodieque haec Lupa cum pueris in Capitolio. Montefauconius etiam teſtatur, ſigna Fulminis, quo ictam hanc Lupam narrat Cicero (III. *Cat. cap.* 8.) etiam nunc in ea conſpici, quam Flaminius Vacca inventam narrat in Foro Romano.

Templum hoc vetus eſt, & ſphaericum, habetque in faſtigio feneſtram rotundam, quo per medium tecti intrat lumen; & in fundo impluvium, quo excipiuntur imbres; eſtque ſitum in Velabro, ſub Palatino monte.

Prope hoc Templum erat Spelunca, in qua de capro luebatur, unde locus nomen traxit, & *Lupercal* dictus eſt. Servius (*ad illud Virgilii*, *AEn.* VIII. *v.* 343.)

—— gelida monſtrat ſub rupe Lupercal.

Alii hoc nomen inde deducunt, quod illic Lupa infantes nutriverit. *Lupercalium* vero morem originem traxiſſe ab Urbis Conditoribus quidam volunt. Sed variant opiniones, uti de vocis etymologia, ita & de loco. Ait enim Servius (*ad illa verba Virgilii*, *AEn.* VIII. *v.* 907. *Rumore ſecundo &c.*) in Circo fuiſſe. *Tiberis Rumon dictus eſt, unde Ficus Ruminalis, ad quam ejecti ſunt Romulus & Remus; quae fuit, ubi nunc Lupercal in Circo.* (Nardinus emendat *Comitio*) *hac enim labebatur Tiberis, antequam Vertumnus factis ſacrificiis averteretur.*

Montefauconius vult, Lupercal ſpelaeum fuiſſe, ad radices Palatini, ita dictum a lupa, Remi & Romuli nutrice, ab Evandro olim conſecratum *Pani Lycaeo*, quaſi dicas *Lupali:* & non procul inde fuiſſe Ficum Ruminalem, ad quam ejecti ſunt Remus & Romulus infantes. Haec autem prope Forum, ex latere Palatini, erant.

Ficum hanc ipſam alii dictam volunt a *ruma*, id eſt, mamma. Et ita Plinius (*Lib.* XV. *cap.* 18.) *Quae nutrix Romuli & Remi appellata, quoniam ſub ea inventa eſt lupa, infantibus praebens rumam* (*ita vocabant mammam*) *miraculo* &c. Item Livius (*Lib.* X. *cap.* 23.) *Eodem anno Cn. & Q. Ogulnii AEdiles Curules* &c. *& ad Ficum Ruminalem ſimulacra infantium Conditorum Urbis ſub uberibus lupae poſuerunt.* Fuiſſe haec ex aere, indicat Plinius (*dicto loco.*) *Miraculo ex aere juxta dicato.*

Luperca Dea nomen accepit ſuum ab hac Lupa, juxta Arnobium adverſus Gentes (*Lib.* IV. *ſub initium.*) *Quod abjectis infantibus pepercit lupa, non mitis, Luperca*, inquit, *Dea eſt, auctore appellata Varrone.* Atque in laudem Deae hujus inſtituti leguntur *Ludi Lupercales.*

Servius eodem in loco *Lupercal*, & *Ficum Ruminalem* vult fuiſſe. At vero *Lupercal* fuit, ubi nunc *D. Theodori* eſt *aedes*; quae olim fuit, ut diximus, *Templum Romuli. Ficus* vero *Ruminalis* in Comitio. Docet hoc Tacitus (*Annal. Lib.* XIII. *cap.* 58.) *Eo*, inquit, *anno*, *quo certatum eſt inter Hermunduros & Cattos, ruminalem arborem in comitio, quae ſupra octingentos & quadraginta annos Romuli Remique infantiam texerat, mortuis ramalibus, & areſcente trunco diminutam, prodigii loco habitum: donec in novos foetus revireſceret.* At vero, ſi pueri in proxima alluvie ſunt expoſiti, ubi Ficus erat Ruminalis, ſecundum Tacitum, neceſſe erit dicere: Fluvium hunc Forum Romanum ea tempeſtate alluiſſe, expoſitoſque pueros fuiſſe in alluvie proxima. Mihi

tamen, qui haec loca oculis lustravi meis, magis probatur, expositos fuisse infantes apud Lupercal, nutritos vero ad arborem. Neque tamen fuit *Lupercal*, ubi stetit *illa arbor*. Plutarchus hoc innuit (*in Romulo.*) *Locum*, ait, *Germalum vocant, sed pridem Germano nomen fuerat, quod germanos fratres vocamus; nec porro longius Ficus Ruminalis. Scaphae*, seu cistae, cuidam impositos Romulum & Remum Faustulus commisit Tiberi, avehendos quo eos ferret vis aquae fluentis. Servata fuit haec cista multis post seculis, & adhuc aevo Plutarchi, ut ipse scribit (*in Romulo.*)


Sunt & qui arbitrantur; *Ruminalem Ficum* a Romulo nomen accepisse, quasi *Romularem*. Sed alii nominis etymon deducunt a lacte, infantibus praebito; quia pars gutturis *ruma* dicitur. Festus vero (*in voce Ruminalis*) ita vult denominatam, quod mamma *rumis* appellaretur.

Adrianus I. hoc Templum restauravit, super ruderum antiquorum monumenta, an. Chr. DCCLXXIV. sacrumque voluit esse D. Theodoro. Hujus opus reficiendum postea curavit Papa Nicolaus V. An. CIƆCCCCL.

Leguntur autem Romanae mulieres antiquitus huc tulisse male se habentes & infirmos infantes suos, existimantes; quod Romulo ac Remo hic locus fuisset felix & secundus, eundem saluti fore suis quoque parvulis. Mansit haec superstitio ad Christianorum usque tempora. Malo igitur huic prospicere cupientes Papae, dedicarunt hoc Templum *S. Theodoro*, martyri Graecorum, qui dicitur vulgo *S. Toto*, ferturque Patronus esse infantium infirmorum & aegrotorum, qui & hodieque illius tutelae commendantur.

Nihil denique in hoc Templo animadversione dignum, hoc quidem tempore nostro, ostenditur.

TEM-



T E M P L V M
ROMVLI, & REMI, in FORO ROMANO, nunc SS. COSMAE & DAMIANI.



TEMPLVM hoc conditum eſt in via Sacra, prope turrim, quae *Comitum* dicitur. Parte ſua poſteriore formam habet quadratam, anteriore ſphaericam, in ſummitate vero tecti unicam duntaxat feneſtram, apertam, & luce ſua totum aedificium colluſtrantem; in pavimento item foſſulam, ad excipiendum imbres ac pluvias, haud ſecus ac Pantheon.

Fuit hoc Templum Romuli ac Remi, quod Livius fuiſſe ſcribit prope Forum (*Lib.* X. *cap.* 46.) *AEdem Quirini, quam in ipſa dimicatione votam apud neminem veterem auctorem invenio, ab Dictatore patre votam, Filius Conſul* (Papirius) *dedicavit, exornavitque hoſtium ſpoliis, quorum tanta multitudo fuit, ut non templum tantum, forumque his ornaretur, ſed ſociis etiam, coloniſque finitimis, ad templorum, locorumque publicorum ornatum, dividerentur.*

Dedicatum fuit a Carvilio Cos. (ut volunt alii) victis Samnitibus, & ex eorum ſpoliis exornatum. Erat hoc templum olim conſtructum ex quadratis lapidibus Tiburtinis; ſed eorum magnam partem, ex hujus templi muris acceptam, avexerunt RR. Patres Societatis Jeſu, ad aedificandam S. Ignatio, conditori ſui Ordinis, aedem ſacram.

Sunt, qui exiſtimant, fuiſſe hoc templum Caſtori & Polluci ſacrum, ſed errore non obſcuro. Nam Suetonius & Ovidius ſcribunt, aedem Divorum iſtorum fuiſſe in Foro, ad Lacum Juturnae, proximumque huic loco Templum Julii Caeſaris.

Papa Felix IV. An. Chriſt. Ioxxx ſacrum eſſe juſſit hoc templum S. Coſmae & S. Damiano. Hujus Papae Epitaphium in hoc Templo oſtenditur.

HIC. REQVIESCIT. S. FELIX. PAPA. ET. MARTYR.
QVI. DAMNAVIT. CONSTANTIVM. HAERETICVM.

Urbanus VIII. Papa, An. cIɔ Iɔcxxxiii. per architectum Ariguzzi, rudera Templi hujus terris obruta erui, novoque aedificio ſuperimpoſito inſtaurari juſſit, ornamentiſque multis tam intrinſecus, quam extrinſecus illud decoravit, uti ſequens demonſtrat titulus.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX. TEMPLVM. GEMINIS.
VRBIS. CONDITORIBVS. SVPERSTITIOSE. DICATVM.
A. FELICE. IIII. S. S. COSMAE. ET. DAMIANO. FRATRIBVS.
PIE. CONSECRATVM. VETVSTATE. LABEFACTATVM.
DEIECTIS. LATERIBVS. PARIETIBVS. TOTIVS. BASILICAE. A. SE. EXAEDIFICATAE. EXCITATIS. FORNICE.
MEDIO. INTER. INFERIOREM. ET. HANC. EXTRVCTO.
NOVO. IMPOSITO. LAQVEARI. AREA. DENIQVE.
COMPLANATA. IN. SPLENDIDIOREM. FORMAM. REDEGIT.
ANNO. SAL. M. DC. XXXIII.

Flaminius Vacca refert quoque, vidiſſe ſe, ab operis, terram effodientibus, erutam tabulam marmoream, in qua ſculpta erat Urbis Romanae Ichnographia ſimul & Scenographia. Hanc hodie amiſſam, ſed prius Fulvius Urſinus in ſchedis deſcriptam, in ſua ſervavit bibliotheca, quae Vaticanae acceſſit. Exinde has tabulas depromptas commentario illuſtravit erudito Petrus Bellorius, uti videre eſt in Tom. IV. Graeviani Theſauri Antiquitatum Romanarum.

In lateribus Templi hujus fuit olim conſpicua haec imago Urbis Romae, opere anaglypho, cujus adhuc reliquiae quaedam conſpiciuntur, in Palatio Ducis Parmenſis, quas docto etiam Commentario illuſtravit Raphaël Fabrettus.

Duo fruſta columnarum ex Templo vetere paganorum ſuperſtitum ordinis ſunt Corinthii cum diametro palmorum fere quatuor.



TEMPLVM
PACIS.





PACIS ARAM primus erexit Augustus, quam Agrippa post eum auxit. Ovidius (I. *Fast. v.* 709.)

Ipsum nos carmen deduxit Pacis ad Aram,
Haec erit a mensis fine secunda dies.

Templum hocce Vespasianus perfecit. Josephus (*Lib.* VII. *de Bello Judaico, cap.* 24. *in fine*) *Post triumphos Vespasianus Pacis Templum aedificare decrevit; itaque mira celeritate, & quae hominum cogitationem superat, effectum est.* Suetonius (*in Vespasiano, cap.* 9.) *Fecit & nova opera, Templum Pacis, Foro proximum.* De eo Herodianus (*Lib.* I. *cap.* 14.) *Quod unum*, inquit, *opus cunctorum tota Urbe maximum fuit, atque pulcherrimum.*

Longitudo ejus erat pedum CCC. latitudo CC. Fornix ornata erat aere deaurato.

Vespasianus hoc *Templum Pacis* posuerat, ceu monumentum felicitatis domus suae, pace parta; ut indicat Inscriptio Basis cujusdam in aedibus Farnesianis, quam allegat Jos. Castalio, in Descript. Templi Pacis, in Thes. Graev. (*Tom.* IV. *pag.* 1850.)

PACI. AETERNAE
DOMVS
IMP. VESPASIANI
CAESARIS. AVG
LIBERORVMQ. EIVS
SACRVM

Nili statua ingens in hoc Templo cernebatur, de qua Plinius (*Lib.* XXXVI. *cap.* 7. *ubi de marmorum generibus*) *Invenit eadem AEgyptus, quem vocant Basalten, ferrei coloris atque duritiae. Unde & nomen ei dedit. Numquam hic major repertus est, quam in Templo Pacis, ab Imperatore Vespasiano Augusto dicatus: argumento Nili, sexdecim liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti, summi incrementi augentis se amnis, intelliguntur.*

Ganymedis statuam fuisse quoque in hoc Templo auctor est Juvenalis (*Sat.* IX. *v.* 22.)

—— —— & Ganymedem
Pacis, & advectae secreta palatia Matris.

Venus Marmorea, opus artificiosissimi sculptoris Timantis, etiam servabatur in hoc Templo, cujus Divinitati sacrum habebatur.

Jalysi imaginem inter picturas egregias Templi hujus recenset Plinius (*Lib.* XXXV. *cap.* 10.) *Propter hunc*, inquit, *Jalysim, ne cremaret tabulas Demetrius rex, quum ab ea parte sola posset Rhodum capere, non incendit.*

In hoc Templo ſervabatur etiam imago canis, opus Protogenis. Locus Plinii eſt (*cap. cit.*) *Eſt in ea canis mire factus, ut quem pariter caſus & ars pinxerint. Non judicabat Protogenes, ſe exprimere in eo ſpumam anhelantis poſſe; cum in reliqua omni parte, quod difficillimum erat, ſibi ipſi ſatisfeciſſet: diſplicebat autem ars ipſa, nec minui poterat, & videbatur nimia, ac longius a veritate diſcedere, ſpumaque ipſa pingi, non ex ore naſci, anxio animi cruciatu, cum in pictura verum eſſe, non veroſimile vellet: abſterſerat ſaepius, mutaveratque penicillum, nullo modo ſibi approbans: poſtremo iratus arti, quod intelligeretur, ſpongiam eam impegit inviſo loco tabulae, & illa repoſuit ablatos colores, qualiter cura optabat, fecitque in pictura fortuna naturam.*

Veſpaſianus in hoc Templo repoſuerat praedam, Hieroſolymis captam a filio ejus Tito, exceptis ſolis Tabulis Legis, & purpureis Templi velis, quae in Palatio cuſtodiri juſſit, teſte Joſepho (*Lib.* VII. *Bell. Jud. cap.* 24.) qui & meminit ſolummodo trium Templi inſtrumentorum, quae a Romanis maximi fiebant, & in triumpho fuerant portata, recenſens *Candelabrum aureum*, *Menſam auream*, *& Legem*, reliqua nullo ordine inter alia ſpolia prius ferebantur, interque ea probabiliter haec fuit Arca Foederis, quae etiam nunc aſſervatur in aede S. Joannis Lateranenſis, quam utpote ligneam non magni fecerant Romani, prout illa priora. Arcam hanc Zorobabelem feciſſe credo, ad exemplum prioris, quae fuerat in Templo Salomonis; & Legem forte aliis lapidibus inciſam, in eam repoſuerat.

Conferebant ſe ad hoc Templum frequentes aegroti ex more, votorum faciendorum cauſſa, ut tradit Galenus (*in Libro de pulſibus.*)

Incendio periit tempore Commodi Imperatoris, teſte Herodiano (*Lib.* I. *cap.* 14.) *Nam quum*, inquit, *neque imbres, neque nubes, tantumque exiguus terrae motus anteceſſiſſet, ſeu nocturni caſu fulminis, ſeu igni aliquo, in ipſo terrarum motu veluti extrito, totum de improviſo Pacis Templum conſumptum incendio eſt. &c. Adeoque per noctem debacchatus ignis multos ex opulentis egenos reddidit.*

Bibliotheca etiam cum Templo, eodem periit incendio.

Paulus denique V. Pont. Max. tranſtulit ex ruderibus Templi hujus columnam unam marmoream, praegrandem, ſtriatamque, quibus olim ſuſtinebatur operis fornix, eidemque ſuperimpoſuit ſimulacrum B. Virginis, ex aere fuſo inauratum, quod viſitur in area, ante veſtibulum *Baſilicae*, cognomento *Majoris*.

Superſunt etiam nunc tria ingentia fornicum fragmenta, ad S. Mariae Novae, cum hortis Piis juncta.

PAN-





PANTHEON,
nunc S. MARIAE ROTVNDVM.



Emplum hoc, a quo primum positum exstructumque sit, ignoratur. Verum Inscriptio isthaec in porticus Zophoro legitur litteris majoribus.



M. AGRIPPA. L. F. COS. TERTIVM. FECIT

Plinus (*Lib.* XXXVI. *cap.* 15.) ait: *Pantheon Jovi Ultori ab Agrippa factum.* Gnaris tamen artis & rationum Architectonices, ex totius operis forma, satis quoque liquet, non uno eodemque tempore hoc templum fuisse conditum; siquidem corona porticus non cohaeret, neque congruit formae & operi templi ipsius, quum illa pulcrior sit, perfectiorisque artis opus. Dion (*Lib.* LIII.) hoc confirmare videtur, usus vocabulo ἐξετέλεσε. Verba ejus sunt: *Pantheon quoque perfecit Agrippa.*

Vestibulum autem, sive porticus fulcitur columnis XVI. grandibus, ordinis Corinthii, & quaelibet constat uno ac solido lapide Granito Orientali. Non tamen omnium columnarum una est crassities & mensura: nam crassissimarum diametros est sex palmorum Romanorum & pollicum decem; tenuium sex palmorum & quinque pollicum.

Vasta & praealta ea moles columnarum, ex uno & solido lapide confectarum, aliquos in eam cogitationem induxit, ut existimarent, conflandorum & fundendorum lapidum artem viguisse apud Veteres; atque exinde fieri potuisse has columnas, quanta vellent magnitudine. Sed huic sententiae refragantur notae Hieroglyphicae, in Obeliscis ex AEgypto advectis, & testimonia Auctorum Veterum, memorantium historias advectarum ex AEgypto columnarum, narrante Ammiano Marcellino. Plinius item descripsit magnitudinem navis, qua Claudius advexerat Obeliscum Circi Maximi ex AEgypto.

Erat vero Pantheum, Agrippae aetate, tectum tegulis aereis, ut quidam volunt, inauratis. Intus tota aedes aut marmorata, aut marmoreis crustis exornata fuit, exterius tectorio illita, a fronte vero aereis laminis crassitudine quadrantis, argentoque, auroque illitis tecta. Fornix nunc plumbeis, olim argenteis laminis cooperta fuerat, quas Constantinus Tertius, Heraclii nepos, Romam veniens, sustulit, simulque omnes statuas, ex aere, aut marmore, ad Urbis ornatum positas, omniaque templorum ornamenta paullo decentiora detraxit, navibusque ad id paratis imposuit, Constantinopolin avehenda.

Duo loculamenta majora conspiciuntur in Porticu, ad utrumque latus, in quibus statuae Augusti, & Agrippae olim collocatae fuere; de quibus Dion (*Lib.* LIII.) *Voluit Agrippa in eo Augusti quoque statuam collocare, nomenque operis ei adscribere: neutrum autem eo accipiente, in Pantheo ipso Caesaris prioris, Augusti & suam in Vestibulo posuit.*

Pantheon dicitur quasi πάντων τῶν Θεῶν, *omnium Deorum.* Caeterum Templum hoc etiam particulatim aliis Diis quibusdam consecratum fuisse videtur, uti jam ex Plinio observavimus, testante, Jovi Ultori fuisse sacrum. Dion quoque (*Lib. cit. de Operibus Agrippae*) haec habet. *Pantheon quoque perfecit Agrippa. Id sic dicitur fortassis, quod in simulacris Martis & Veneris multas Deûm imagines acciperet: ut vero mihi videtur, inde id nominis habet, quod forma convexa fastigiatum, coeli similitudinem ostenderet.*

In hemiſphaerio ſummo medium lumen eſt, ſub ejuſque impluvio medio aquae coeleſtes excipiuntur, per foramina diſpoſita. Religio autem fuit Veteribus, non continuare tecta Templorum. Ita & intermiſſum cernebatur Jovis Capitolini tectum, ut ſub dio eſſet Terminus, & immobile Saxum ſub coelo.

Nequeat quis verbis exprimere templi hujus magnificentiam. Lithoſtratum enim habet intrinſecus pulcherrime exornatum marmoribus variis, columnaſque in ambitu, ſtructurae nobilis, & epiſtyliis egregie concinnatas, atque inter ipſas ſacella, in quibus circumquaque ſtatuae quondam fuere poſitae.

Statuae Veneris ex auribus pendebat margarita mirandae magnitudinis & pretii ſummi, quam, teſte Macrobio, Cleopatra regina in auribus geſſerat. Alteram Cleopatra aceto conſumptam deglutierat in convivio, quo M. Antonium ſumptibus ſuperare contendebat, quando hauſtu uno centies ſeſtertium (hoc eſt, 625000 florenorum pretium) ebibit. Qui ſuperfuerat unio, victa & defuncta regina, Romam ex AEgypto delatus, diſſectus eſt, factaeque ſunt ex una duae margaritae, Veneriſque ſimulacro conſecratae.

Hadrianus Templum hoc aliquatenus vetuſtate collapſum reſtituit, uti tradit Spartianus (*cap.* 19.) Julius vero Capitolinus, in vita Antonini Pii, haec habet de templi hujus refectione (*cap.* 8.) Opera ejus haec exſtant, templum Hadriani honori Patris dicatum, inſtauratum Amphitheatrum, ſepulcrum Hadriani, templum Agrippae. Nam & Imperatores, Septimius Severus & Caracalla, hoc quoque Templum inſtaurarunt. Teſtantur id Inſcriptiones, quae in duabus Epiſtylii faſciis leguntur.



IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTINAX. ARABICVS. ADIABENICVS. PARTHICVS. MAXIMVS. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XI. COS. III. P. P. PROCOS. ET



IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. TRIB. POTEST. V. COS. PROCOS. PANTHEVM. VETVSTATE. CORRVPTVM. CVM. OMNI. CVLTV. RESTITVERVNT

Papa Bonifacius IV. conſentiente Phoca Imperatore, hoc templum conſecravit B. Mariae Virgini, an. Iɔcvii.

Urbanus VIII. omnia ex metallo fabricata & fuſa opera ex hoc templo ſuſtulit, ad pondo 450274. relictis duntaxat binis ejuſdem materiae portis, etiamnunc illic videndis. Papa hic Urbanus ex hoc metallo conflavit ornamenta Baſilicae S. Petri, & tormenta majora, in tutelam Arcis S. Angeli. Eſt haec moles illa aenea, Petri & Pauli, Eccleſiae Principum, ſepulcro impoſita. Unum horum tormentorum factum fuit e clavis, qui tabulas aereas nectebant. Docet hoc Titulus, & duo clavi in tubo machinae expreſſi.

EX. CLAVIS. TRABALIBVS. PORTICVS. AGRIPPAE.

Ipſe Papa, quod diximus, fatetur, Inſcriptione hac marmori inciſa, & ad latus portae Templi hujus legenda.

VRBANVS. VIII. PONT. MAX.
VETVSTAS. AHENEI. LACVNARIS.
RELIQVIAS.
IN. VATICANAS. COLVMNAS. ET.
BELLICA. TORMENTA. CONFLAVIT.
VT. DECORA. INVTILIA.
ET. IPSI. PROPE. FAMAE. IGNOTA.
FIERENT.
IN. VATICANO. TEMPLO.
APOSTOLICI. SEPVLCHRI. ORNAMENTA.
IN. HADRIANA. ARCE.
INSTRVMENTA. PVBLICAE. SECVRITATIS.
ANNO. DOMINI. MDCXXXII. PONTIF. IX.

Tur-

Turres, quae conſpiciuntur geminae, ſupra Veſtibulum Templi hujus, ad Campanarum ſonitus edendos, conſtrui ad majorem Templi ornatum juſſit idem Pontifex Max. uti teſtatur ſecunda Inſcriptio marmorea, ad alterum portae latus conſpicienda.

PANTHEON.
AEDIFICIVM. TOTO. TERRARVM. ORBE.
CELEBERRIMVM.
AB. AGRIPPA. AVGVSTI. GENERO.
IMPIE. IOVI. CAETERISQ. MENDACIBVS. DIIS.
A. BONIFACIO. IIII. PONTIFICE.
DEIPARAE. ET. SS. CHRISTI. MARTYRIBVS. PIE.
DICATVM.
VRBANVS. VIII. PONT. MAX.
BINIS. AD. CAMPANI. AERIS. VSVM.
TVRRIBVS. EXORNAVIT.
ET. NOVA. CONTIGNATIONE. MVNIVIT.
ANNO. DOMINI. MDCXXXII. PONT. IX.

Alexander VII. Pont. Max. refecit tectum, trabibuſque compegit grandibus, craſſiſque. Capitulum quoque Columnae in angulo porticus, quod vetuſtate corruptum erat, cum parte Faſtigii reſtitui curavit, decoravitque, Epiſtylio marmoreo impoſito.

Clemens vero IX. cinxit porticum ipſam cancellis ferreis, uti hodie viſitur.

a 22



TEMPLVM

MINERVAE,

nunc S. MARIAE SVPRA MINERVAM.



EMPLVM hoc ſitum fuit olim, ubi nunc eſt *Coenobium Dominicanorum.* Et teſtantur Fulvius & Marlianus, ſe illic vidiſſe rudera ejus reſidua.


TEMPLVM MINERVAE, ſeu *Minervium*, Pompejum habuit auctorem. Indicat Plinius (*Lib.* VII. *cap.* 26.) *Hos ergo* (Pompejus) *honores Urbi tribuit in delubro Minervae, quod ex manubiis dicabat.* Addenda eſt & Inſcriptio, a Pompejo in eo templo poſita, quam marmori inciſam legiſſe, ſe Marlianus refert, continentem fortaſſis breviarium illud rerum, a Pompejo Magno in Oriente geſtarum, de quo Plinius loquitur (*loco citato*) *Cn. Pompejus Magnus, Imperator, Bello* XXX. *annorum confecto, fuſis, fugatis, occiſis, in deditionem acceptis, hominum centies vicies, ſemel* LXXXIII. *millibus: depreſſis, aut captis navibus* DCCCXLVI. *oppidis, caſtellis mille quingentis* XXXVIII. *in fidem receptis: terris, a Maeotis lacu ad Rubrum mare, ſubactis, votum merito Minervae.*

Fuit hoc Templum quondam magnificentiſſimum, & in eo conſecratum erat Deae Minervae ſimulachrum, ab Sacerdotibus multis modis adoratum & cultum. Victores, e bello reduces, huic Deae ſacrificare in eo ſolebant, ceu Deae armorum, quae & *Bellona* appellatur, hoc eſt, *Belli Dea.* Imago autem ejus armata erat aegide, & clypeo, cui caput Meduſae erat inciſum, illudque tenebat manu ſiniſtra, dextra gerens lanceam, ſeu haſtam, indutaque tunica talari.

Fulvius in hunc modum monumenta Templi hujus deſcribit. *Exſtant autem undique ejus Templi parietes quadrati & oblongi, ferme ſine tecto. Erat enim templum non magnum, teſtudinatum, incruſtatum, multiſque ornamentis decoratum. Viſitur autem ejus forma in hortis Dominicanorum, per multos hactenus annos incultum, ac deformatum, & nulli rerum uſui ſerviens, niſi immunditiis.* Hodie vocatur S. MARIAE SVPRA MINERVAM.



a 43



TEMPLVM SATVRNI, nunc S. ADRIANI.

FUit hic antiquissimis temporibus nihil omnino exstructum, praeter altare unicum, erectum jam ante natum quoque Romulum. Sacrum id erat Saturno, cinxitque illud Tullus Hostilius aedificio Templi elegantis, eidemque Deo consecrati. Saturnus vero divitiarum Deus tutelaris habebatur. Hinc liquet, ex quam exiguo saepe initio opera nascantur pulcherrima. Procedente siquidem tempore, accrescentibus Populi Romani opibus, aedificia publica, & Deorum quoque templa, ornatius & magnificentius exstruebantur. Fuere haec olim lutea, lignea & straminea; sed mutabantur postea in marmorea, & lapidibus pretiosis exornata. Hinc fit, ut Nummi, templorum & aedificiorum simulacra exhibentes, praeferant formam structurarum vilium, & quovis ornatu carentium, quorum postea forma magnifica fuit, & sumptuosa, ac praegrandis; ut dissimilis plane sit eorum facies in Nummis, atque fide optima describuntur in historiis, eo quod Nummis caremus, veras harum structurarum formas repraesentantibus.

Saturni Templum proxime vicinum fuisse Templo Concordiae, censent Antiquarii, eo nempe loco, ubi nunc aedes est *S. Adriani.* Consentiunt haec cum Veterum testimoniis. Servius (*apud Donatum Lib.* II. *cap.* 14.) *Ossa*, inquit, *Orestis ab Aricia translata Romam, & condita ante Templum Saturni, quod est ante clivum Capitolinum.*

Conditor ejus primus fertur fuisse Tatius, sed dedicavit illud Tullus Hostilius. Dissentit tamen Solinus (*cap.* 11.) *AEdem*, inquit, *quae Saturni aerarium fertur*, *comites ejus* (Herculis) *condiderunt.* Macrobius item (*Lib.* I. *Saturn. cap.* 8.) docet; Votivum Templum Saturni consecrasse Tullum Hostilium, quum bis de Albanis, & tertio de Sabinis triumphasset; atque hoc etiam tempore Saturnalia tum fuisse Romae instituta. Gellius (*apud eundem*) credit; exstructum fuisse ex Senatus-Consulto, Luciumque Furium, Tribunum militum, operi perficiendo praefuisse. Livius autem (*Lib.* II. *cap.* 21.) scribit: Dedicatum fuisse Sempronio & Minutio Coss. *Poplicola* denique, teste Plutarcho (*in ejus vita circa medium*) *aerarium constituit Saturni aedem*, *quae etiam manet.*

Omnis certe pecunia, redacta ex vectigalibus Provinciarum, & tributis, in hoc Templo custodiebatur. Erat porro in penetrali intimo Templi hujus locus dictus *aerarium sanctius*, cujus meminit Cicero (*Lib.* VII. *ad Attic. Epist.* 20.) Hic servabatur *Aurum*, appellatum *Vicesimarium*, quo, non nisi summa necessitate urgente, Senatus utebatur. Livius (*Lib.* XXVII. *cap.* 12.) & idem (*Lib.* XLI. *cap.* 28.) scribit, *Appium Claudium Centonem*, *ovatione ex Celtiberis*, *tulisse in aerarium millia pondo argenti*, *& quinque millia auri.*

Ferunt, Saturno Rege nullum *furtum* fuisse commissum, quia nihil erat cujusquam privatum, & ideo aerarium in Saturni Templo esse constitutum; justitia tum quippe colebatur, & fides: prout hoc docent Festus & Macrobius. Et tradit Cyprianus (*Tract.* IV. *de idolor. vanit. sub initium*) *nummos signare* in Italia primum instituisse Saturnum, & inde *aerarium* a *Saturno* vocari.

Servabantur quoque in hoc Templo *monumenta publica*, *& rationum libri.* Hinc Suetonius (*Augusto*, *cap.* 32.) ait: *Tabulas veteris aerarii*, *& debitorum*, *vel praecipuam calumniandi materiam*, *exussit Caesar.*

Reponebantur & eodem in Templo *signa militaria*, Livio teste: (*Lib.* IV. *cap.* 22.) *Signa*, inquit, *ex aerario prompta*, *feruntur ad Dictatorem.* Horum duo communia erant; roseum pro peditibus cum titulo S. P. Q. R. & caeruleum pro equitibus: maris enim color est caeruleus, seu Dei illius, cujus inventum fabulantur equum fuisse.

Libri Elephantini hoc quoque in Templo custodiebantur, in quibus erant conscriptae *Tribus* XXXV. & cum iis *publicarum rationum libri.*

 Cen-

Cenſores denique in hoc ipſo Templo jusjurandum ſubire cogebantur.

Hujus Templi, in quo erat aerarium, mentionem facit Inſcriptio marmorea vetus, apud Gruterum (*pag.* LXXI. *n.* 2.)


S A N C. S A L.
T. P E T I D I V S. T. F
F A B. L V C E I V S
VIII. V I R. A E D. P L E B
P O T E S T A T. VIII. V I R
II. F A N O R. VIII. V I R. III
A E R A R I. S A T
S. P. D. D

Hodie, mutato nomine, S. HADRIANI dicitur, eſtque ſitum ante *Forum Romanum*, poſt *Nervae*, a latere *Caeſaris*, unde *in tribus foris* vulgo appellatur.

TEM-







TEMPLVM
VENERIS & ROMAE.



EMPLVM hoc conditum est An. Urb. Cond. IↃCCCLXXXVIII. Pompejano & Attiliano Coss. sub *Hadriano*. Cassiodorus (*in Chronico*) *His Consulibus Templum Veneris & Romae factum est, quod nunc Urbis appellatur.* Dicitur & unius *Veneris* Templum ab Eusebio (*in Chronico*) *Templum Veneris ab Hadriano Romae factum.*

TEMPLVM VENERIS (de quo loquuntur Victor & Rufus) & ROMAE, quod seorsim Rufus commemorat, non est dubitandum, quin fuerint *duo templa*, ab Hadriano conjuncta, & seorsim dedicata duabus his Deabus. Horum Templorum sub unius nomine meminit Dion (*Lib.* LXIX. *in Hadriano*, *in initio*) his verbis: *Veneris & Romae Templi descriptionem ad eum mittens*, (ad Apollodorum Architectum) *quippe significans, sine illius opera & ministerio etiam ingentia aedificia exstrui posse, quaerebat, an illud aedificium recte se haberet? Rescripsit de templo, sublime illud, & concavum fieri oportere, ut ex loco superiori in Sacram usque Viam insignior prospectus esset, & magis conspicuus. Concavum, ad excipiendas Ludorum machinas, quae in eo latenter compingi, & item ex occulto in Theatrum duci possent.*

Templi sedes & pulchritudo colligitur ex his *Claudiani* dictis (*Lib.* II. *in Stilic. v.* 224.)

Ergo avidae tantosque novi spe Consulis annos
Elusae, dominae pergunt ad limina Romae.

Et (*mox*, *v.* 227.)

Conveniunt ad tecta Deae, quae candida lucent
Monte Palatino.

Verum Prudentius, non secus ac Rufus, duo distincta fuisse Templa testatur (*contra Symmachum Lib.* I. *v.* 216.)

Lanigerosque Deum templis adstare ministros
Ac Sacram resonare Viam mugitibus ante
Delubrum Romae: colitur nam sanguine & ipsa
More Deae, nomenque loci, ceu numen habetur:
Atque Urbis Venerisque pari se culmine tollunt
Templa, simul geminis adolentur thura Deabus.

Verumtamen Spartianus consentit in eo cum aliis, dicens (*in Hadriano*, *cap.* 19.) Templum Veneris & Romae, etiam esse Templum Urbis. At si Prudentio credimus, duo haec diversa Templa fuerunt, pariete fortasse conjuncta uno & eodem; opusque fuisse Hadriano dignum, minime dubitandum, etsi id male a nonnullis fuerit intellectum.

Exstruendi hujus aedificii caussa, loco suo motus ab Hadriano est Colossus Neronis, quem a Nerone positum prope Sacram Viam, docti suspicantur. Auctor Spartianus (*cap.* 19.) *Transtulit & Colossum, stantem, atque suspensum per Decianum architectum de eo loco, in quo nunc Templum Urbis est, ingenti molimine, ita ut operi etiam elephantes viginti quatuor exhiberet.*

Frons Templi Romae e superiore loco spectabat Viam Sacram versus, ut indicat Dion & Prudentius. Hinc conjiciunt, aream ante Templum ex eadem coepisse Via, unde gradibus sublata prospectum Templi eminentiorem faciebat. Ammianus porro (*Lib.* XVI. *cap.* 6.) post Capitolium & Pantheon, commemoratione dignum aedificium duxit. Manetque opinio, magnificentiorem & pulchriorem ab Hadriano factam hanc aedem, quod simul in ea colerentur Venus & Roma, ceu parens ac soboles.

Tectum tegulis aereis instructum transtulit Honorius I. Pontifex : Anastasius (*in ejus vita*) *Cooperuit Ecclesiam omnem B. Petri, ex tegulis aereis, quas levavit de templo, quod appellatur Romae.*

In hoc autem Templo, *Romae Urbi* sacro, ac si Dea & ipsa fuisset & AEterna, colebatur sanguine & incenso thure, quod ex Prudentio jam est observatum. Fuitque hoc Templum fortasse non aliud ab eo, quod Servius *Veneris Romanae* nominat. *Urbis* autem *dies natalis* colebatur XII. Kal. Maji.

Duo sunt septa conjuncta, quae adhuc visuntur in hortis *S. Mariae Novae.* Has docti viri recte arbitrantur, reliquias esse *Templi Veneris & Romae.* Fulvius tamen existimat, esse reliquias eas residua *Templorum Isidis & Serapidis*, errore manifesto : quia illa fuerunt extra regionem ejus nominis. Marlianus vero censet; eas esse ex *Templo Solis & Lunae*, sed auctoritate caret, & idoneo situs indice. Testimonia enim Auctorum veterum eo nos ducunt, ut credamus, *Templum Solis* vicinius Theatro fuisse.

Duas exhibemus hujus Templi icones.

TEM-

a 26



TEMPLVM IANI.



EMPLVM JANI fuisse aliqui suspicantur, quae supersunt ruinae veteris aedificii, apud aedem S. Georgii, in Foro Boario. Fulvius autem docet, quod *Transitorium* fuerit, illudque nomen postea cum Jano sit translatum ad *Forum Nervae*, ab eo tempore *Transitorium* nuncupatum.

Multi existimant, illud, de quo loquimur, aedificium, non fuisse templorum publicorum unum, sed ex iis molibus saxeis, quadratis, nullisque januarum claustris munitis, quae dicebantur *Jani Compitalitii*, quo conveniebant tempore pluvio omne genus negotiatorum, ejusdemque usus cum nostris Porticibus, negotiatorum conventibus destinatis, quas *Bursas* vulgo dicimus, quaeque a Cicerone vocantur *Transitiones perviae* (II. *de Nat. Deor. cap.* 27.) De his Janis loquitur Auctor idem (II. *de offic. cap.* 25.) *Sed toto hoc de genere, de quaerenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda, commodius a quibusdam viris ad medium Janum sedentibus, quam ab ullis Philosophis, ulla in Schola, disputatur.*

JANI vero *Compitalitii* appellabantur vulgo *Transitoria* isthaec, quod populus continuo per ea transiret, quemadmodum de *Foro Nervae* legimus, ubi fuit tale *Transitorium.* Ita Victor; *Jani*, inquit, *per omnes regiones incrustati, & ornati signis. Janus* ejusmodi *marmoreus* hodieque conspicitur in Foro Boario, satis integer, prout id ostendit effigies adjuncta.

JANI templa plura in Urbe fuisse, vel exinde constat, quod tertium Jani templum construxerit C. Duilius, prope Forum Olitorium, hoc est, inter Theatrum Marcelli & Tiberim; etsi alii velint a Numa id prius conditum, sed a Duilio instauratum, ampliatumque fuisse. Tacitus (*Lib.* II. *Ann. cap.* 49. §. 3.) *Et Jano*, inquit, *Templum Tiberius dedicavit, quod apud Forum Olitorium C. Duilius struxerat, qui primus Rem Romanam prospere mari gessit, triumphumque navalem de Poenis meruit.* Aliud hoc Jani templum fuit ab eo, quod a Numa fertur fuisse conditum extra portam Carmentalem, cui duae fuerunt portae, quas aperire, quum bellum esset, in pace vero claudi, legitimum habebatur, ut scribit Servius.

Bifrons cur sit dictus, his verbis docet idem Servius (*ad Virg.* XII. *AEn. v.* 198. *Janumque bifrontem &c.*) *Postquam Romulus & Titus Tatius in foedera convenerunt, Jani simulacrum duplicis frontis effectum, quasi ad imaginem duorum populorum.* At fortassis Janus, gentis Italicae primus conditor, ipse fuit *Noachus*, cui tribuitur facies gemina, quod utrunque Mundum viderit, ante & post diluvium. *Gerard. Voss. de Theol. gentil. Lib.* I. *cap.* 18.

Ruinae hujus aedificii superstites evincunt fuisse illud grande, quadratum, exque albo marmore constructum, portarum quatuor, & compluribus loculamentis ornatum.

Templum illud Jani, quod claudebatur tempore pacis, & apertum relinquebatur tempore belli, egregie describit nobis Procopius (*de Bell. Goth. Lib.* I. *cap.* 20.) *In medio foro, ex adverso Capitolii, Jani sacellum, ex aere, quadratum, tantae amplitudinis, quanta Jani statua integi poterat, aenea etiam, & non minor quam quinquepedalis, portae utrimque aeneae.*

27



T E M P L V M
I V N O N I S R E G I N A E.

EMPLI hujus ſitus fuiſſe videtur in vicinia aedis S. Sabinae. Livius (*Lib.* XXVII. *cap.* 37.) *Per Boarium Forum in Clivum publicum, atque in AEdem Junonis Reginae perrectum.* Fuit hoc Templum votum, aedificatum, & dedicatum a Camillo, expugnatis Vejis. In hoc itaque Templum Vejis tranſlata eſt ſtatua Deae. Livius *Lib.* V. *cap.* 21, 22, *&* 31.

De hoc Templo, uti & Dianae haec leguntur apud Livium (*Lib.* XL. *cap.* 52.) *Alter ex Cenſoribus, M. AEmilius petiit ab Senatu, ut ſibi dedicationis Templorum Reginae Junonis & Dianae, quae bello Liguſtino ante annos octo voviſſet, pecunia ad Ludos decerneretur. Viginti millia aeris decreverunt. Dedicavit eas aedes, utramque in Circo Flaminio, ludoſque ſcenicos, triduum poſt dedicationem Templi Junonis, biduum poſt Dianae, & ſingulos dies fecit in Circo.*

In hoc eodem Templo ſervabantur quoque ejuſdem Deae Junonis ſtatuae duae, e cupreſſo, magnaque cum pompa eo delatae bello Punico II. Livius (*Lib.* XXVII. *cap.* 37.) *Poſt eas duo ſigna cupreſſea Junonis Reginae portabantur, &c. Simulacra cupreſſea in aedem illata.*

Sunt, qui *Porticum ante Templum S. Angeli*, in Foro Piſcario, exiſtimant fuiſſe *Templi Junonis*; ſed ab aliis tribuitur ea Mercurio. Sequens autem Inſcriptio declarat, qui fuerint inſtauratores ejuſdem, incendio conſumptae.



IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTINAX. AVG. ARABIC. ADIABENIC. PARTHIC. MAXIMVS
TRIB. POTEST. XI. IMP. XI. COS.
IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONIVS. PIVS. FELIX.   COS. PROCOS
INCENDIO. CORRVPTAM. RESTITVERVNT.

Duas iſtas lacunas Eruditi ita ſupplent; ſecundi verſus III. P. P. ET. tertii vero verſus AVG. TRIB. POTEST. VI.

S. Sabinae aedis plurimae & pulcherrimae columnae marmoreae ſatis demonſtrant, deſumptas eſſe eas, ex ſpoliis diruti in vicinia Templi alicujus veteris, aut eodem in loco inventas.

Superſtites columnae ſunt ſtriatae, quarum diametros eſt palm. Rom. IV. & pollicum XI. ex marmore Pario, ordinis Corinthii.



a. 28



TEMPLVM
FORTVNAE VIRILIS,
nunc S. MARIAE AEGYPTIACAE.

FORTVNAE VIRILIS TEMPLVM Rex Servius condidit, notante hoc Dionyſio, in Urbe ipſa, inque Regione ea, in qua ripa Tiberis tota fuit, inter portas Trigeminam & Flumentanam, ad Pontem Palatinum ruptum, nunc S. Mariae, prope Templum Herculis. Et hic quidem verus loci ſitus eſt, ubi ſacra haec AEdes nunc quoque conſpicitur. Verba Dionyſii ſunt (*Lib.* IV. *Antiq. cap.* 33.) *Servius Tullius, duobus Templis conditis, altero* BONAE FORTVNAE, *ob perpetuum ejus favorem, in Foro Boario; altero* FORTVNAE VIRILIS, *ſicut hodieque cognominatur, in ripa Tiberis, provectus jam aetate.*

In hoc Templo hodie etiamnunc conſpiciuntur in lateribus columnae ſeptem, in frontibus vero ſingulis, anteriore & poſteriore, quatuor, ſtriatae, ex lapide Tiburtino, ordine Ionico. Eminent hae columnae ex parietibus mediam duntaxat partem, altera muro eſt incluſa, operique conciliat firmitatem & robur. Tectorium ejus factum eſt ad regulam antiquorum. Ad Ortum aeſtivum quoque parieti eſt inſerta columella ex alabaſtro, quae claro Solis ortu, luce perſpicua, & lumine fulgente, incendere parietes videtur. De hoc Templo intelligendus eſt Ovidius (VI. *Faſt. v.* 568.)

Lux eadem, Fortuna, tua eſt, auctorque, locuſque;
Sed ſuperinjectis quis latet aede togis?

S. MARIAE AEGYPTIACAE Templum Volaterranus (*Lib* XXX. *cap. quod a Romanis Fortuna praecipue colebatur*) dicit fuiſſe Templum *Bonae Fortunae*: Fulvius contra, *Pudicitiae Patritiae.* Attamen hoc fuiſſe creditur olim in Foro Boario, regionis octavae. Marlianus vero & Nardinus rectius in eo agnoſcunt *Templum Fortunae Virilis*, ſecuti auctoritatem Dionyſii. Suadet hoc quoque ſtructura ejus Ionica, quae media eſt inter Corinthiam & Doricam, atque, ex Vitruvii ſententia, huic Deae potius convenit; nam & ipſa media eſt, bona, ſcilicet, & mala.

Simulacrum hujus Deae cernebatur in hoc Templo, opertum duabus togis undulatis, haud aliter atque olim reges Romani undulatas & praetextas togas geſtare fuerant ſoliti. Teſtis Varro (*Lib.* I. *de Vita Populi Romani.*)

Virgines in hoc Templo thure ſacrificabant Deae huic, credebantque, ſi quod vitium in corpore habuiſſent, virum futurum id ignoraturum.

Dies, quo cultus ejus Deae publicus peragebatur, fuit Aprilis primus, planeque alius, ac *Fortis Fortunae:* docet hoc Ovidius (*Lib.* IV. *Faſt. v.* 145.)

Diſcite nunc, quare Fortunae thura Virili
Detis eo, calida qua locus humet aqua.
Accipit ille locus poſito velamine cunctas,
Et vitium nudi corporis omne videt.
Ut tegat hoc, celetque viros, Fortuna Virilis
Praeſtat, & hoc parvo thure rogata facit.
Nec pigeat tritum niveo cum lacte papaver
Sumere, & expreſſis mella liquata favis.

Fuit olim hoc Templum etiam *Jovi, Solique* ſacrum, uti nos docet Inſcriptio Vetus, quam Julius Sanc-

torius Cardinalis, Patronus Armenorum, restituendam curavit. Hoc enim Templum illi genti habendum datum est. Verba Inscriptionis haec sunt.

HOC DVDVM FVERAT FANVM PER TEMPORA PRISCA
CONSTVCTVM PHAEBO, MORTIFEROQVE IOVI.
QVOD STEPHANVS VETERI PVRGAVIT STERCORE IVDEX &c.

Stephanus iste, quisquis fuerit, aedem hanc consecraverat Divae Virgini. An IↃCCCLXXII, sedente Papa Joanne VIII.

Licet hinc conjicere; eadem Templa, temporibus diversis, dedicata fuisse Diis pluribus; quod & hodieque accidit Christianorum Basilicis. Tolluntur autem hac ratione lites plurimae dicentium, Templa quaedam eorum Divorum non fuisse, quorum feruntur, quod legimus, ibidem loci alterius Dei stetisse Templum, moti auctoritate Scriptorum quorundam. Facile enim fieri potuerit, ut dissentientium uterque vera dixerint, ignorantes discrimina mutatorum temporum, & rationes dedicationum variarum.

Columnarum Templi hujus diametros esse cognoscitur palmorum Rom. VI. pollicum III. Constant autem lapide Tiburtino, ordinis Ionici.

TEM-

a 20



TEMPLVM
HERCVLIS in FORO BOARIO, nunc S. STEPHANO a le CROZZE, vel MADONNA del SOLE.



HERCVLES *Aram* tantummodo habuisse fertur, quum Evander in Italia regnum obtineret. Meminit hujus Virgilius (VIII. *AEneid. v.* 271.)

Hanc Aram luco statuit, quae Maxima semper
Dicetur nobis, & erit quae Maxima semper.

Sunt, qui existimant, a magnitudine operis hanc Aram *Maximam* fuisse dictam. Serv. *Ingens est*, inquit, *ara Herculis, sicut videmus hodieque.* Solinus de hac Ara (*cap.* 2.) *Suo quoque Numini Hercules instituit Aram, quae Maxima apud Pontifices habetur, cum se ex Nicostrata, Evandri matre, quae a vaticinio Carmentis dicta est, immortalem comperisset.*

Ara haec Herculis maxima in veneratione apud accolas habebatur. Nam & apud eam Hercules ipse creditur boum decumas obtulisse: pollicitusque fuerat, beatissimam vitam consecuturos, qui sibi consecrarent bonorum decumam. Fecerunt hoc Sulla, Lucullus & M. Crassus. Jussit quoque Hercules ut ab hac Ara, & his sacris arcerentur mulieres, quas vetuit attingere, aut degustare quidquam, quod immolatum super eam fuisset. Gellius (*Lib.* XI. *cap.* 6.) *Mulieres Herculaneo sacrificio abstinent.* Macrobius (*Saturn.* I. *cap.* 12.) Instituti hujus hanc caussam ferunt: Herculi, quum boves Geryonis per Italiam ageret, sitienti mulier respondit; non licere sibi bibendam aquam praebere viris, quod eo die celebrarentur Deae feminarum sacra; nec fas esset, ut ex eo apparatu viri quidquam degustarent. Hercules igitur, sacra facturus, feminarum praesentiam est abominatus.

Ad hanc Aram Romani jusjurandum, & pacta, quae firma esse vellent, peragebant, teste Dionysio (*Lib.* I. *cap.* 40.) Remansit exinde jurisjurandi vetus vocabulum, ME HERCVLES, quod per ellipsin dicitur, pro, *ita me Deus Hercules servet.*

AEdes autem Herculi sacra erat in Foro Boario, & in eam, aetate Solini, ut ipse testatur (*cap.* 2.) ingressus non erat canibus, neque muscis. *Sacellum*, inquit, *Herculis in Foro Boario est. In illud Divinitus neque canibus, neque muscis ingressus erat, ita argumenta & convivii, & majestatis ejus remanebant. Etenim quum viscerationem sacricolis daret, Myiagrum*, id est, *muscarum congregatorem Deum dicitur imprecatus; clavam vero in aditu reliquisse, cujus olfactu refugerent canes.*

Templum hoc Herculis fuit parvum, & rotundum, ambituque suo complectebatur viginti columnas marmoreas, ordinis Corinthii.

Dicta fuit haec aedes *Herculis Victoris*, quam Sixtus IV. Pont. Max. solo aequavit. Proxime S. Anastasiam sita olim erat *Ara Maxima Herculis*, cujus statua ex spelaeo quodam eruta fuit, aeneaque & inaurata erat, quae ad Capitolii Palatium Conservatorum allata est. Id vulgo dicitur; verum Flaminius Vacca, apud Montefauconium, in Diario (quem is fide dignum fuisse affirmat) se refert accepisse, statuam illam in Foro Romano, proxime Arcum Severi, repertam.

Fuerunt illic quoque hi duo Tituli, Deo Herculi positi in duabus basibus, ut videre est apud Gruterum (*pag.* XLVII.)

DEO . HERCVLI
INVICTO
C. IVL. POMPONIVS
PVDENS
SEVERIANVS
V . C. PRAEF . VRB

Altera Inſcriptio apud Gruterum haec eſt.

HERCVLI . IN
VICTO
M. CASSIVS
HORTENSIVS
PAVLINVS. PR. VRB
XV. VIR. SACRIS
FACIVNDIS
DONVM. DEDIT

Si Plinio credimus (*Lib.* XXXIV. *cap.* 7.) Evander ipſus Statuam Herculi conſecraverat, in Foro Boario, dicebaturque ea *Hercules Triumphalis;* ſolebat enim illa per triumphos triumphali habitu veſtiri.

Blondus hanc *AEdem* non *Herculis* eſſe, ſed *Veſtae*, conatur oſtendere, ex his Ovidii verſibus (III. *Faſt.* ℣. 11.)

Ilia Veſtalis (quid enim vetat inde moveri?)
Sacra lavaturas mane petebat aquas.
Ventum erat ad molli declivem tramite ripam :
Ponitur e ſumma fictilis urna coma.
Feſſa reſedit humi; ventoſque accepit aperto
Pectore; turbatas reſtituitque comas.
Dum ſedet; umbroſae ſalices, volucreſque canorae
Fecerunt ſomnos, & leve murmur aquae.

At hi verſus non probant AEdem Veſtae, prope Tiberim fuiſſe. Feſtus autem vult; Regem Numam conſecraſſe aedem Veſtae rotundam. Perſuaſerat enim ſibi, hanc Deam eſſe terram, quae ſuſtineret hominum vitam, eandemque eſſe forma pilae, ut Dea coleretur templo ſui ſimili. Sed Ovidius credidit (VI. *Faſt. v.* 257.) anno Urbis quadrageſimo Templum Veſtae fuiſſe conditum forma ſphaerica, quam & Feſtus ei tribuit. Dicebatur *Veſta*, quod variis rebus ſit veſtita & ornata. Cicero (*de Nat. Deor. Lib.* II. *cap.* 27.) *Veſta*, inquit, *nomen a Graecis. Ea enim eſt, quae ab illis* ἑςία *dicitur : Vis autem ejus ad aras & focos pertinet: itaque in ea Dea, quae eſt cuſtos rerum intimarum, omnis & precatio & ſacrificatio extrema eſt.*

Nullum autem fuit ejus Deae ſimulacrum, ut ignis nullam habere queat certam ſuae ſimilitudinis, & actionis effigiem. Hoc teſtatur Ovidius (VI. *Faſt. v.* 295.)


Eſſe, diu ſtultus, Veſtae ſimulacra putavi:
Mox didici curvo nulla ſubeſſe tholo.

Savellorum familia hoc Templum reſtituit, dedicavitque *S. Stephano*, Beatorum Martyrum primo.

Sub hoc Templo hodie cernuntur reliquiae *Cloacae Maximae*, quam exſtruxerat Rex Tarquinius Priſcus.

Columnarum, Templum ambientium, diametros continet palmos Rom. IV. & pollic. III. ex Pario Marmore ſtriatarum, ordinis Corinthii.

TEM-



TEMPLVM IOVIS CAPITOLINI, nunc ARA COELI.



IOVIS OPT. MAX. TEMPLVM inchoavit Tarquinius Priſcus, ex praeda, ſeu manubiis, de Apiola captis, prout Plinius tradit (*Lib.* III. *cap.* 5.) Deinde Tarquinius Superbus librarum argenti XL. M. hoc eſt, 2000000 florenorum, impendit in ponendis fundamentis. Plutarchus (*in Poplicola*) Conſecrationem tamen obire ipſe non potuit, quamvis opus ad tectum fere perveniſſet: regno enim & tyrannide excidit, Templique dedicationis gloriam coactus fuit relinquere Horatio, collegae Poplicolae. Diſcimus hoc ex Inſcriptione, inciſa marmori, exſtante in AEde D. Agathae, quae tamen in Opere Gruteri inter ſuppoſititias legitur, (*pag.* 1. *num.* 1.)

Dionyſius figuram ejus ſic deſcribit: (*Lib.* IV. *cap.* 64.) *Templum ſitum eſt & fundatum in alta crepidine, octo jugerum ambitu, ducentis ferme pedibus patens per latera ſingula, pari propemodum longitudine, atque latitudine vix quindecim pedum differentia. Frons ejus meridiem ſpectat. Porticum habet, cum triplici ordine columnarum: in lateribus ordo duplex eſt. Tres AEdes pares communibus continentur lateribus, media Jovis, hinc & inde Junonis & Minervae, ſub eodem tecto & pinnaculo.* Hoc dicit, fuiſſe in eo Templo tria ſacella aequalia, communia inter ſe habentia latera, hoc eſt, interſtructos parietes, ſuſtinentibus pilis lateritiis dealbatis, quas poſtea in columnas mutavit Dictator Sylla, deſumptas e Templo Graeci Jovis Olympici, teſte Plinio (*Lib.* XXXVI. *cap.* 6.) Idem Auctor (*Lib. citato cap.* 25.) de *Pavimento* haec notat. *Romae ſculpturatum in AEde Jovis Capitolini primum factum eſt, poſt tertium Punicum Bellum initum.*

Fuerunt igitur haec tria ſacella, de quibus Dionyſius loquitur, quorum medium Jovi erat ſacrum, cujus utrumque latus claudebant Junonis & Minervae, *ſub una aquila*, hoc eſt, ſub uno tecto, aquilae alis inumbrato, unaque velata tectura: unde & Auſonius dixit (*Grypho. v.* 42.)

Trina in Tarpejo fulgent conſortia Templo.

Macrobius autem, (*Lib.* III. *cap.* 4.) his verbis docet, cur Tarquinius haec Numina ſub eodem tecto ſtatuerit. *Sed*, inquit, *qui diligentius eruunt veritatem, Penates eſſe dixerunt, per quos penitus ſpiramus: per quos habemus corpus: per quos rationem poſſidemus. Eſſe autem medium aethera Jovem: Junonem vero imum aëra cum terra: & Minervam ſummum aetheris cacumen. Et argumento utuntur; quod Tarquinius Demarati Corinthii filius, Samothraciis religionibus myſtice imbutus, uno templo, ac ſub eodem tecto Numina memorata conjungit.* Lucem hinc accipit locus Ovidii (*Lib.* II. *Triſt. v.* 289.)

Cum ſteterit Jovis aede; Jovis ſuccurret in aede,
Quam multas matres fecerit ille Deus.
Proxima adoranti Junonia templa ſubibit,
Pellicibus multis hanc doluiſſe Deam.
Pallade conſpecta, natum de crimine virgo
Suſtulerit quare quaeret Erichthonium.

 Et

Et in *Consolatione ad Liviam, ferme prope finem.*

Jupiter ante dedit fati mala signa cruenti,
Flammifera petiit cum tria templa manu:
Junonisque gravi nocte, impavidaeque Minervae,
Sanctaque & immensi Caesaris icta domus.

Jovis statua, sellae curuli insidens, in hoc Templo conspiciebatur, manu gerens fulmen aureum, pondo L. aderat & sceptrum, & in capite corona radiata. Statua eadem fuerat primo fictilis, Juvenalis (*Sat.* XI. *v.* 15.)

Hanc rebus Latiis curam praestare solebat
Fictilis, & nullo violatus Iuppiter auro.

Et Ovidius (I. *Fast. v.* 202.)

Inque Iovis dextra fictile fulmen erat.

Trajanus postea, devicta Asia, aureum Jovi dedicavit simulacrum. Hoc indicat Martialis (*Lib.* XI. *epig.* 4.)

Sculptus es aeterno nunc primum Iuppiter auro.

Divitiae Templi hujus tam ingentes fuere, ut vix fidem mereantur. Tam immensa quippe in eo reperiebatur vis statuarum marmorearum, & metalli omnis generis, tabularum exquisitissimarum, tantumque scutorum, spoliorum hostilium, tropaeorum, tot signa militaria, tantus numerus gemmarum, tamque grandis multitudo auri, sive summa arte elaborati, sive rudis, congesti, collectique a Triumphantibus, Magistratibus Romanis, aliarumque urbium Praefectis, Imperatoribus, Regibus, & populis externis, ex voto, vel donis, vel mulcta. Sed & Augustus unus legitur, unica donatione contulisse, in cellam Jovis Capitolini, XVI. millia librarum auri, gemmasque & margaritas ad HS. quingenties (hoc est, 3125000 florenorum) Suetonius (*Aug. cap.* 30. *in fin.*) *Coronae* aureae hic servabantur multae, Attalus donarat unam pondo CCXLVI., aliam Philippus Macedonum Rex pondo C. aliam Lampsaceni pondo LXXX. aliam Alabandenses pondo L. Aristobulus donarat *Vitem auream* quingentorum talentorum (hoc est, 7500000 florenorum) Hiero *victoriam auream* pondo CCCXX.

Consules novi deducebantur a populo sacrificatum in illud Templum, unde eos populus comitabatur rursum in Curiam. Faciebant autem ideo Jovi in suo Templo rem Divinam, quod Jovi non minus, quam Jano, omne initium deberetur. Inde & hoc Proverbium natum: *Ab Iove principium.*

Orationes in hoc Templo saepe habitas fuisse, & *Senatusconsulta* frequenter in eo fieri fuisse solita docet Cicero (*de Nat. Deor. Lib.* I. *ubi de T. Graccho.*)

Tabularum aenearum, Templo, vel Porticibus affixarum, quantus fuerit numerus, indicat Suetonius (*in Vespasiano cap.* 8.) *Tria millia tabularum aerearum, quae simul cum Templo conflagraverant, restituenda suscepit.* Meminit & Josephus (*Lib.* XIV. *Antiq. Iudaic. cap.* 17. *prope finem*) Columnarum aerearum, quibus incisas fuisse tradit Leges foederis, cum Iudaeis icti. *Quando*, inquit, *tam manifesta argumenta exhibuimus nostrae cum P. R. amicitiae, ostensis aeneis columnis, & tabulis in Capitolio usque nunc durantibus.* Foederum quoque cum Carthaginiensibus initorum pacta, tabulis aeneis insculpta, ab AEdilibus hic servata fuisse, commemorat Polybius (*Lib.* III. *cap.* 5.)


Libros Sibyllinos, in conclavi subterraneo Templi hujus, a Decemviris fuisse servatos, Dionysius Halicarnassaeus refert, (*Lib.* IV. *cap.* 70. *toto*) qui & una cum Bibliotheca sunt combusti.

Incendio autem consumptum fuit, An. U. C. CCCCXXV. sed Sylla Dictator restituit, eoque vita functo Catulus dedicavit. Iterum arsit bello Civili Vitelliano, sed refici paullo post curavit Vespasianus. Denique sub Tito rursus combustum Domitianus reaedificavit, commemorant haec Tacitus (*Hist.* III. *cap.* 72.) Suetonius (*Vitell. cap.* 15.) Tacitus (*Hist.* IV. *cap.* 53.) Suetonius (*Domit. cap.* 5.)

Templum hoc Christianis sacris dicatum, nunc appellatur ARA COELI. Caeterum in Ecclesiam hodiernam de Ara Coeli ascenditur, grandi scala marmorea, CXX. admodum graduum, qui olim, ut quibusdam placet, a templo Quirini, in Quirinali sito, illuc avecti sunt. Templum hodiernum Franciscanorum est, fultum duplici Columnarum serie, quas putant, Iovis Capitolini fuisse. Plura de antiquitatibus Templi hujus scire avidus, legat Justi Rycquii commentarium *de Capitolio Romano.*

TEM-

a 31



TEMPLVM
CONCORDIAE.


ONCORDIAE vocem deducit Varro a *corde congruente.*

CONCORDIAE TEMPLVM hoc vovit Camillus, cujus votum Senatus ratum habuit, jussitque illud aedificari. Testatur id Plutarchus *(in Camillo.)* Locus Ovidii (*Lib.* I. *Fast. v.* 637.) dignus est, qui adscribatur:

Candida te niveo posuit lux proxima Templo,
Qua fert sublimes alta Moneta gradus:
Nunc bene prospicies Latiam, Concordia, turbam;
Nunc te sacratae restituere manus.
Furius (antiquum) populi superator Hetrusci
Voverat; & voti solverat ante fidem.
Caussa, quod a Patribus sumptis secesserat armis
Vulgus; & ipsa suas Roma timebat opes.
Caussa recens melior: passos Germania crines
Porrigit auspiciis, Dux venerande, tuis.
Inde triumphatae libasti munera gentis;
Templaque fecisti, quam colis ipse, Deae.
Haec tua constituit Genitrix, & rebus, & ara,
Sola toro magni digna reperta Jovis.

Discimus hinc Templum Concordiae, quod Furius Camillus vovit, constructum ob seditionem, Romae ortam, Populum inter & Senatum; flagitante, scilicet, Plebe, ut alter Consulum crearetur, ex suo corpore. Id quum Plebs a Senatu obtinuisset, dicatum est Templum Concordiae in Foro, Populi adstante concione, seu corona.

Templum hoc non longe abfuit a carcere: id Dio tradit (*Lib.* LVIII. *ubi de Sejani morte agitur*) *Eodemmet die Senatus coactus prope carcerem, in AEde Concordiae.* Huic sententiae congruit, quod legitur in tabulis Farnesianis Vestigii Veteris Romae, editis a Viro illustri Petro Bellorio, ubi (*Tab.* IX.) legitur vox ORDIA, non integre, pro CONCORDIA, hoc est, *Templo Concordiae.*

Existimant vulgo *Porticum octo Columnarum*, quae hodie visitur, sub imo clivo Capitolii, ad Arcum Severi, esse partem residuam Templi hujus. Legitur illic haec Inscriptio.

✠
SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS
INCENDIO. CONSVMPTVM. RESTITVIT

Integra fere Porticus etiamnunc superest, extraque humum eminet, quamvis solum terrae ruinis undique sit oppletum. Gruterus hanc habet Inscriptionem (*pag.* C. *n.* 6.)

D. N. CONSTANTINO. MAXIMO. PIO. FELICI. AC
TRIVMPHATORI. SEMPER. AVGVSTO. OB. AMPLIFI
CATAM. TOTO. ORBE. REM. PVBLICAM. FACTIS. CON
SILIISQ. S. P. Q. R
DEDICANTE. ANICIO. PAVLINO. IVNIORE. C. V. COS
ORD. PRAEF. VRBI

S. P. Q. R.
AEDEM. CONCORDIAE. VETVSTATE. COL
LAPSAM. IN. MELIOREM. FACIEM. OPERE
ET. CVLTV. SPLENDIDIORE. RESTITVE
RVNT

Templum Concordiae suos quoque habuit gradus, prout de eo loquitur Rycquius (*cap.* 42.) patetque id ipsum ex Templi hujus reliquiis. Ichnographia quoque Templi hujus id ipsum probat. Hanc autem delineavit nobis Palladius, architectus nobilis; in ea vero enumerantur gradus viginti quinque, quibus in Templum Concordiae ascendebatur. Habuisse autem hoc Templum Gradus complures, quibus in illud ascendebatur, apertissime Cicero demonstrat (*in Philippica* VII. *cap.* 8.) *Equites Romani*, inquit, *qui frequentissimi in gradibus Concordiae steterant.*

Conjunctum huic Templo fuisse *Senatulum* Auctores commemorant. Docent quippe; Senatula tria Romae fuisse, in quibus Senatus haberi solitus sit, unum ubi nunc est aedes Concordiae, inter Capitolium & Forum, in quo solebant Magistratus duntaxat cum Senatoribus deliberare. *Senaculum* alii vocant. Varro (*Lib.* IV. *de LL.*) ait: *Senaculum vocatum, ubi Senatus, vel ubi Seniores consisterent, dictumque* γερουσίαν.

Fuit autem supra *Graecostasin*, ubi aedes Concordiae & Basilica Opimii. Templum enim hoc fuisse clivo Capitolino proximum, ex pluribus cognoscere licet testimoniis Ciceronis. Hic enim Consul, Senatu in AEdem Concordiae convocato, eodem adduxit conjuratos deprehensos; atque circum Templum hocce, custodiae caussa, Equites disposuit Romanos, dicitque eos fuisse in clivo Capitolino. *Cum*, inquit, (II. *Ph. cap.* 8.) *in hac cella Concordiae, in qua, me Consule, salutares sententiae dictae sunt.* Et (*ibid. cap.* 7.) *Quis enim Eques Romanus, cum Senatus in hoc templo esset, in clivo Capitolino non fuit.* Et alibi: (*orat. pro Sext. cap.* 12.) *Equites Romanos daturos illius diei poenas, qui, me Consule, cum gladiis in clivo Capitolino fuissent.*

Hoc quoque Concordiae Templum cellam habuit, ut ex Cicerone didicimus. De hac enim idem Auctor loquitur (*Phil.* III. *cap.* 12.) *Armatos in cella Concordiae, quum Senatum haberet, incluserit.* Et (*in* V. *cap.* 7.) *In cella Concordiae collocari armatos, latrones, sicarios, e templo carcerem fieri.*

Servabantur denique, teste Plinio (*Lib.* XXXIV. *cap.* 8.) in hoc Templo simulacra Apollinis & Junonis, opus Battonis; Latonae puerperae, Apollinem & Dianam sustinentis, opus Euphranoris; AEsculapii & Hygiae, opus Niscerati; Martis & Mercurii, opera Tisicratis; Cereris & Iovis, & Minervae, opera Sthenis; & Victoriae.

In Fronte autem Fastigii Templi hujus videnda erat Statua Victoriae, quae fulmine tacta decidit & periit, M. Marcello Claudii & M. Valerio Coss.

Columnae Porticus hujus cernuntur factae ex marmore Granito, distincto punctis nigris, albisque. Non sunt autem unius crassitudinis, aut coloris; unde liquet, huc translatas esse, ex ruderibus aedificii alterius, & huic insertas. Ipsemet enim eas mensus sum, verumque id esse comperi. Capitula harum columnarum marmoris sunt Parii, uti & bases; harum structura est Ionica tota, verum capitula ordinis Dorici & Ionici, inter se mixti. Quae autem octo exinde supersunt Columnae cum Trabeatione, & parte Tympani, harum columnarum diametros est palmorum Rom. VI. & unius ferme pollicis. Exhibemus duas hujus Templi reliquiarum effigies.

TEM-

a 32





2 33



TEMPLVM IOVIS STATORIS.





TEMPLVM hoc Antiquitatum Interpretes plerique collocant in ipso Foro; sed facile refelluntur. Carent quippe Antiquorum Scriptorum auctoritate, quorum id nemo testatur. Facit huc, quod Romulus pulsus sit a Sabinis, & in fugam conjectus, *toto hoc spatio, quantum est Forum*, ut testatur Livius (*Lib.* I. *cap.* 12.) *ad usque Palatii portam.* Ergo Romulus hoc in loco Templum posuit: ipse vero repulit postea Sabinos ad usque Vestae Templum, quod extremo ab ea parte Foro fuit. Ovidii hoc indicat carmen (*Fast.* VI. *v.* 395.)

Forte revertebar festis Vestalibus, illa,
Qua Nova Romano nunc Via juncta Foro est.

Certa ergo hinc conjectura est; non pervenisse Forum usque ad portam Palatii, AEdemque Jovis Statoris. Habuit quoque Tarquinius Priscus domum suam apud Fanum Jovis Statoris, & illic, quum esset occisus, Tanaquil ejus uxor de fenestra, unde prospiciebatur in Viam Novam, populum fuit allocuta. Livius (*Lib.* I. *cap.* 41.) *Quum clamor impetusque multitudinis vix sustineri possent, ex superiore parte aedium, per fenestram in Novam Viam versus (habitabat enim Rex ad Jovis Statoris AEdem) populum Tanaquil alloquitur.* Appiani autem testimonium apertissime & clarissime nostram probat sententiam. Is (*Lib.* II. *de B. C.*) ait: *Subduxerunt tamen invitum* (Bibulum) *amici in Fanum Jovis Statoris, Foro proximum.*

De eo sic Dionysius (*Lib.* II. *cap.* 52.) *Romulus Jovi Statori Templum posuit, apud Portam Mugoniam, ducentem e Via Sacra in Palatium.* Ovidius (VI. *Fast.* *v.* 793.)

Tempus idem Stator AEdis habet, quam Romulus olim
Ante Palatini condidit ora jugi.

Templi hujus locum antiquum Cicero ostendit, Jovem precatus his verbis, priusquam abiret in exilium, (*oratione ea cap.* 10.) *Teque, Jupiter Stator, quem vere hujus Imperii Statorem majores nostri nominaverunt, cujus in Templo hostilem impetum Catilinae repuli a muris: cujus Templum a Romulo victis Sabinis in Palatii radice cum victoria est collocatum, oro atque obtestor, ferto opem pariter Reipub. cunctaeque civitati, meisque fortunis.*

Itaque Romulus condidit hoc Templum ex voto in Bello Sabinorum, quod apertissime declarat Livius. Hujus verba sunt (*Lib.* I. *cap.* 12.) *Jupiter tuis avibus jussus hic, in Palatio, prima Urbi fundamenta jeci: Arcem jam scelere emptam Sabini habent, inde huc armati superata valle media tendunt. At tu, Pater Deûm hominumque, hinc saltem arce hostes, deme terrorem Romanis, fugam foedam siste. Hic ego tibi Templum Jovi Statori, quod monimentum sit posteris, tua praesenti ope servatam Urbem esse, voveo.* Primus autem omnium Romulus hoc Templum Jovi Statori voverat, non autem absolverat. Post eum enim novo voto illud absolvendum statuerunt in Consulatu suo Posthumius Metellus & Attilius Regulus Coss. ut apud Livium legitur (*Lib.* X. *cap.* 36.) Nam Romulus *Fanum* tantum fecerat, qui *locus templo effatus* fuit, ut paullo post idem scribit Auctor (*cap.* 37. *in fin.*)

Perierat autem Neroniano incendio etiam Iovis Statoris aedes, quam Romulus voverat, ut notat Tacitus (*Ann.* XV. *cap.* 11.) Sed vel Nero ipſe, vel Senatus Populuſque Romanus reſtituendam curaverant.

Solebat in hoc Templo Senatus frequenter haberi, & conciones. Teſtis Cicero (*in Cat.* II. *cap.* 6. *& ſaepe*) Notandum eſt autem, quod Senatuſconſulta jure fieri non poterant, niſi in loco ab Auguribus conſtituto, qui & *Templum* dicebatur. Et contra *Curia* erat *Templum*. Auctores Gellius & Varro. Illud enim intererat inter *AEdes ſacras* & *Templa*, quod in his jure perſcriberentur Senatuſconſulta; in illis vero numquam. Hanc tamen diſtinctionem nos in his Notatis non ſervavimus, quo facilius cognoſcerentur loca, quae deſcripſimus.


Rudera porro Templi hujus conſpiciuntur, hac aetate noſtra, in ipſo Foro. Forum quippe nunc amplius porrigitur in longitudinem. Et fama vetus eſt, viris quoque doctis in hanc ſententiam conſentientibus; Columnas tres ſtriatas, quae hodie viſuntur in Foro Romano, prope Palatium & Hortos Farneſianos, cum admirandi opificii Epiſtylio & Corona, iſtius Templi Veteris eſſe monumenta, Porticu in fronte ordine columnarum duplici, in latere ſimplici. Neſcimus autem, utrum plures paucioreſque fuerint. Detur tamen tres fuiſſe tantum, utique loci ſpatium, & operis altitudo ſatis indicant, aedificium, cujus fuerunt, cenſeri non poſſe in vetuſtis, & priſci operis. Sunt enim ordinis Corinthii, quod Vitruvius (*Lib.* I. *cap.* 2.) *Jovi Statori* non convenire fatetur, ſed Diis hilarioribus *Veneri*, *Florae*, *Proſerpinae*, *Nymphis*.

Columnarum vero iſtarum ſtriatarum Diametros continet palmos Rom. VI. & pollices totidem marmoris Parii, ordinis Corinthii. Duae conſtant fruſtis majoribus quinque, una quatuor. Et AEdificium totum fuit marmoreum, ut e ruinis liquet.

Nonnulli putant, tres has columnas pertinuiſſe ad Templum Julii Caeſaris; ſed contra ſciendum eſt, probabile videri non poſſe; Auguſtum exſtruxiſſe Julio Caeſari Templum tantae magnitudinis, & tam divitis ac elegantis operis; ut qui non ignoraret, in quanto eſſet odio apud Romanorum praeſtantiſſimos recens tum nimis Julii Caeſaris memoria, propter oppreſſam ab eo libertatem. Hae enim columnae monumenta ſunt architectonices priſcae & artis ſummae.

TEM-





TEMPLVM
ANTONINI ET FAVSTINAE,
nunc S. LAVRENTII in MIRANDA.


AVSTINAE TEMPLVM stetisse in Via Sacra, Trebellius Pollio, in Gallieno filio (*cap.* 1.) docet. *Fuit denique hactenus statua in pede montis Romulei, hoc est, ante Sacram Viam, intra Templum Faustinae, advecta ad arcum Fabianum.*

Ex Porticu Templi hujus supersunt etiamnunc Columnae decem ingentes, cum Capitulis, Epistyliis & Inscriptione hac.



DIVO. ANTONINO. ET
DIVAE. FAVSTINAE. EX. S. C

De Templo Faustinae, uxoris M. Antonini Philosophi, Capitolinus in *Marco* (*cap.* 26.) ait: *Petiit a Senatu, ut honores Faustinae, aedemque decernerent.* Et mox. *Divam etiam Faustinam a Senatu appellatam gratulatus est.* Sed & fecit coloniam vicum, in quo obiit Faustina, & excitavit eidem Templum, cujus memoriam Caracalla abrogavit. Spartianus (*in Antonino Caracalla, cap.* 11.) *Antoninus*, inquit, *inter Deos relatus est, habet templum, habet Salios, habet Sodales Antoninianos, qui Faustinae templum, & Divale nomen eripuit, quod ei sub Tauri* (montis) *radicibus fundaverat maritus, in quo postea filius hujus Elagabalus Antoninus sibi, vel Jovi Syrio, vel Soli, incertum id est, templum fecit.* De morte M. Antonini Victor haec scribit (*in Epitome.*) *Ejus morte nuncio Romam pervecto, omnes pari sensu praesumpserunt, Marcum coelo receptum esse, ob cujus honorem templa, columnae, multaque alia decreta sunt.* Et idem (*de Caesaribus.*) *Qui sejuncti in aliis Patres ac Vulgus, soli omnia decreverunt, templa, columnas, sacerdotes.* De Templo Julius Capitolinus (*cap.* 18.) *Templum ei constructum, dati Sacerdotes Antoniniani, & sodales, & flamines, & omnia, quae de sacratis decrevit antiquitas.* Templum igitur hoc aedificatum est, ex auctoritate & decreto Senatus, uti liquet ex Inscriptione, supraposita An. Chr. ut quidam arbitrantur, CLXXVIII.

Prope Templum Faustinae fuit Regia; in hac sacra fiebant a Rege sacrificulo, & in eam reliqui Pontifices convocabantur a Pontifice Maximo.

Martinus V. Pontifex Maximus, ex Familia Columnarum, *hoc Templum* Societati Pharmacopolarum dedit, An. cIↃCCCCXXX. quod tunc gaudebat titulo Ecclesiae Canonicalis. Hodie dicitur *Templum D. Laurentii in Miranda.*

In ipso Templo supra Portam subter Insignibus Papae Martini V. haec legitur Inscriptio.

OPTIMO. PRINCIPI. OTHONI. COLVMNAE.
MARTINO. V. PONTIFICI. MAXIMO. CVIVS.
AVTHORITATE. HOSPITALE. ERECTVM. AC.
IVS. PATRONATVS. ELARGITVM. ANNO. DOMINI.
M. CD. XXX. COLLEGIVM. AROMATARIORVM.
AMPLISSIMIS. MVNERIBVS. ET. PIORVM. FRATRVM.
ELEEMOSYNIS. DECORATVM. GRATI. ANIMI.
SIGNVM. POSVIT. ANNO. DOMINI. M. DC. VII.

Columnae Templi hujus omnes ex unico & solido *lapide Augusteo* factae sunt. Augustus enim primus hoc genus lapidis Romam advexit, ad majorem Urbis ornatum. Hic lapis Italis dicitur *Pietra Cipolina*, quod quasi foliis constet, seu crustulis, ad instar allii.

Diametros Columnarum est palmor. Rom. VI. & pollicum VII. ordinis Corinthii.

a 35



a 36



TEMPLVM
IOVIS TONANTIS.



IOVIS TONANTIS Templum posuisse Augustus fertur, apud Clivum Capitolii. Suetonius id testatur (*cap.* 29.) Consecraverat hoc Augustus, *quum in expeditione Cantabrica periculo se liberatum agnosceret. Nam itinere nocturno lecticam ejus fulgor perstrinxerat, servumque praelucentem exanimarat.* Verba Suetonii etiam haec notanda sunt (*cap.* 91.) *Quum dedicatam in Capitolio AEdem Tonanti Jovi assidue frequentaret, somniavit, queri Capitolinum Jovem, cultores sibi abduci, seque respondisse, Tonantem pro Janitore ei appositum. Ideoque mox tintinnabulis fastigium aedis redimivit, quod ea fere januis dependebant.*

Plinius (*Lib.* XXXV. *cap.* 6.) commemorat, quibus lapidibus fuerat exstructa haec AEdes. *Inter hos* (inquit) *primum* (*ut arbitror*) *marmoreos parietes habuit scena M. Scauri, non facile dixerim sectos, an solidis glebis positos, sicut est hodie Jovis Tonantis aedes in Capitolio.*

Statua Jovis, exemplar aeris Deliaci, quo Polycletus fertur fuisse usus, servabatur in hoc Templo; Plinius (*Lib.* XXXIV. *cap.* 2.) & ante ipsam fuerant illic statuae Castoris & Pollucis, opus *Hygiae*, seu (ut in Plinio legitur) *Hegiae.* Plinius (*Lib.* XXXIV. *cap.* 8.)

Reliquiae, quae etiamnunc supersunt ex hoc Templo, conspiciuntur in ipso Clivo Montis Capitolini, tres nimirum Columnae marmoreae, cum egregii operis Trabeatione, plusquam dimidia parte tenus defossae sub terram. Fuit hic angulus Vestibuli, seu Pronai Templi ipsius. Ostendit Zophorus ab AEdis latere instrumenta ac vasa sacrificiorum Veterum; diductus autem a fronte in latioris marmoris tabulas praefert unum verbum absque R.



E S T I T V E R.

Unde colligitur, instauratum aliquando Templum hoc fuisse.

Totum opus, quantum ex ruderibus conjicitur, ex solidis glebis Parii Marmoris erat constructum. Effigiem autem Templi hujus exhibet Augusti Nummus.

Columnarum superstitum diametros complectitur palmos Romanos VI. pollicesque III. suntque omnes striatae, marmoreae, ordinis Corinthii.



T. 38



B A S I L I C A
N E R V A E,
cujus nunc partem facit ECCLESIA S. BASILII.



Ervae Basilica fuit in Foro ejus: sed sunt, qui dubitent, an Basilica Nervae; an potius Templum sit Minervae; quodve potissimum AEdificium eo nomine sit censendum.

Revera tamen fuit vel Templum, vel Basilica, vel certe pars Palatii Imperatoris Nervae. Et dubitare nefas est, quin id Forum sit Nervae, ubi hoc AEdificium, vel rudera ejus ostenduntur. Verumtamen non longe hinc area Templi reperitur. Unde vicinitas duorum istiusmodi templorum fecit forte, ut alterum pro altero haberetur.

Fori hujus spatium certo posse definiri, non video. Hoc exploratum affirmo; murum veterem, uti hodie videmus, enormem & angulosum, factumque e quadratis magnisque lapidibus, una cum Arcu ad viae transitum, fuisse in finibus Fori intercisum.

Muri pars magna adhuc superest, quo nimirum Forum Nervae cingebatur, & quocum conjunctum fuit AEdificium memoratum, uti hoc ostendit adposita effigies illius. Constat hic murus saxis quadratis, cum anfractibus multis, reductisque contra architecturae elegantiam. Apparet autem exinde, viae huic contiguae & antiquae flexus alios non fuisse, quos & sequi debuit ipsa AEdificii substructio.

Fori autem totius & AEdificii adjuncti ichnographiam & orthographiam egregie descripsit nobis Antonius Labaccus, in suo de Architectura libro.

Ingentes istae Columnae tres, quibus campanaria turris Ecclesiae S. Basilii monialium superstructa est, ad marmorei AEdificii latus, reliquiae Templi Imperatoris Nervae dicuntur esse. De hoc Templo intelligendus est Plinius, in Panegyrico (*cap.* XI.) *Nervam lacrymis primum, ut filium decuit, mox templis honestasti, non imitatus illos, qui hoc idem, sed alia mente fecerunt.*

Reliquiae illius AEdificii, quae supersunt, tres sunt Columnae striatae, ordinis Corinthii, cum unica pila; omnes immersae humo parte quadam, grandesque, & perpulchrae, cum magnificentissima Trabeatione, ex marmore Pario factae, unde splendorem & magnificentiam AEdificii veteris conjectare possumus.

Pars Palatii Nervae, ingentibus columnis, & lapidibus quadratis ornati, cernitur etiam hodie, inter Comitum & Militiae turrim, cum inclusa Ecclesia S. Basilii. Arcus vero, qui adhuc superest, pro *Arcu Nervae*, corrupte dicitur *Arca Noei.*

Istarum Columnarum diametros mensurae est palmorum Rom. VII. & pollic. X. omnes sunt striatae, & marmoreae, ordinis Corinthii.



TEMPLVM PALLADIS.



DE hoc PALLADIS TEMPLO loquitur *Aurelius Victor, in vita Nervae: Dedicato*, dicit, *Foro, quod appellatur Pervium, quo AEdes Minervae eminentior consurgit, & magnificentior.*

Fori Palladii primus conditor fuit Domitianus, Palladis cultor devotissimus, ut Doctorum nemo nescit. Habuit autem hoc Forum *AEdem Minervae.* Manifestissimum hujus rei indicium est fragmentum aedificii antiqui, quod hodieque cernitur in via illa recta, inter *Turrim Comitum* & *Pantanos.* Constat opere elegantissime sculpto, columnisque ordinis Corinthii. Nec dubitem, quin hoc pertinuerit ad Templum Palladis: siquidem in ejus fastigio sculptura cernitur anaglyphica. Harum una Palladem refert tunicatam sine aegide, sed galeatam, & sinistra gerentem clypeum; dextra vero, quae fracta videtur, tenuit hastam.


Martialis quoque satis indicat, hanc AEdem sitam fuisse, quo loco fuerat taberna, ubi vendebatur suus liber (*Lib.* I. *Epigr.* 2.)

Libertum docti Lucensis quaere Secundum,
Limina post Pacis, Palladiumque Forum.

Hoc Forum fuit exstructum miro artificio ab Apollodoro. Antiquarii credidere, *Forum Romanum*, vel *aliud aliquod* in Palatino monte fuisse *Forum Palladium.* Sed decepit eos nomen *S. Andreae in Pallara*; nam initiales litterae eaedem plane sunt, docentque, Panvinio affirmante, *Forum Palladium* aliud nullum esse, atque *Forum Nervae.* Rationes Panvinii non quidem sunt certissimae, sed tamen minime spernendae.

Hoc tempore de eo opere supersunt duae tantum Columnae, cum parte Vestibuli, in cujus Zophoro pulcherrimae cernuntur imagines anaglyphicae, & in iis sculptae Artes Palladis, ex marmore. Columnarum istarum dimidia pars propemodum obruta tellure latet, partium conspicuarum diametros est palmorum IV. & pollicum IX.

40



BASILICA
CAII & LVCII.

BASILICA CAII & LVCII fuit haud procul a moenibus, inter Portam Exquilinam & Naeviam. Fuerunt autem in Exquiliis *Horti Caji & Lucii, Caesarum.* Hi erant nepotes Augusti ex Julia filia & M. Agrippa, adoptati ab Augusto, in spem & successionem Imperii. Horti vero illorum procul dubio fuerunt prope Basilicam & Porticum. *Basilica* haec insignis fuisse creditur, uti & Porticus, quod Augustus sub nomine nepotum, Caji & Lucii, memorandum quid statuere decreverat.

Ingens cavitas videtur ante Hortos illos. Est haec rotunditatis perfectae, sed repleta exaggeratione versus viam publicam. Hanc si diligenter consideres, dixeris fuisse lacum antiquum, effossum opere humano ad Naumachiam. Id Dion certe sentire videtur, scribens (*Lib.* LXVI. *prope finem.*) *Extra hunc locum pugnatum est ab aliis in horto Caji & Lucii, quem Augustus perfodi ob eam caussam jusserat.* Alii hic pro *horto* reponunt *luco.* Sed verisimile est & hortos & lucum fuisse in Exquiliis. Exquilias enim Augustus repurgavit, sepulcris amotis, & producto pomoerio, ut locus iste fieret salubrior & ornatior.

Hic certe Nemus Caji & Lucii fuisse videtur, si quis modo accurate inspexerit citatum modo locum Dionis, ubi ita pergit: *Ibi enim primo die bellum navale, caedesque belluarum facta est, lacu, qua parte statuas spectat, asseribus inaedificato, & foris ac tabulatis undique incluso.*

AEdificium quoddam vetus decagonum e lateribus hodie in vinea quadam ostenditur, pone S. Matthaei aedem. Et sunt qui arbitrantur esse id Basilicam Caji & Lucii. Nam & Suetonius scribit (*cap.* XXIX.) *Quaedam etiam opera sub nomine alieno, nepotum scilicet & uxoris, sororisque fecit, Porticum Basilicamque Lucii & Caji.* Decepit tamen illos hodiernum loci hujus nomen, *Galluccio*, sive *Galluzzo*, veluti corruptum ex vocibus *Caji* & *Lucii.* Et fortasse locum hunc hodieque vocant *Thermas Galutii.* Sed incerta sunt haec omnia, quoad situm loci.

Haud longe ab AEdicula S. Mariae AEgyptiacae, quam, teste Panvinio, Pyrrhus Ligorius credidit Basilicam fuisse Caji & Lucii, effossae sunt bases, cum his Inscriptionibus, e Gruteri Thesauro, (*Pag.* CCXXXIV. *Num.* 4. & 5.) petitis:

C. CAESARI. AVGVSTI. F
PONTIFICI. COS
DESIGNATO
PRINCIPI. IVVENTVTIS

Item.

L. CAESARI. AVGVSTI. F
AVGVRI. COS
DESIGNATO
PRINCIPI. IVVENTVTIS

Nihil autem certi hinc conficitur. Nam & egomet memini, me vidisse Romae, & per totam Italiam, quamplurimas Inscriptiones, cum suis lapidibus ex longe sejunctis locis advectas, atque tam ad ornatum, ut non amitterentur, quam ut firmiora redderentur aedificia, parietibus aedium & structurarum quarumlibet fuisse insertas.

Sunt & multi, qui existimant, hanc AEdem fuisse *Minervae Medicae*, quam Rufus & Victor huic Urbis regioni tribuunt, quaeve, quo loco fuerit, ignoratur. Nomen vero *Panthei Minervae Medicae*, quod apud Rufum legitur, quodque aedi huic adscribere videtur rotunditatem Templo Panthei similem, lectorem reddit incertiorem. Rev. Pat. Montefaucon fatetur, se totum pedibus ire in hanc antiquiorem sententiam eorum, qui hoc templum esse arbitrantur *Pantheon Minervae Medicae*, Nam regio ea ipsa est. Panthei formam haud obscure produnt apsides, statuis Numinum excitatae. Adhaec


 post

poſt vicum Urſi Pileati in Exquilina regione conſequenter vicum Minervae Rufus enumerat. Vicus autem Urſi Pileati ab urſo pileato, qui hodieque e vicino viſitur, nomen mutuatus eſt, ut vicus Minervae a templo ejuſdem nominis. Unum autem Minervae templum in Exquilina regione memoratur, videlicet Minervae Medicae, quod Pantheon ab Rufo vocatur, & proximum eſt Urſo Pileato. Fornix adhuc supereſt, ſed in ruinam vergens, & niſi inſtauretur, brevi ſine adverſario periturus eſt. Opus eſt lateritium, ſed olim marmoribus veſtitum, ornatumque columnis.

Alii contra exiſtimant, fuiſſe hoc Templum *Herculis Callaïci*, auctore Bruto ſtructi, quem & *Callutium* vocant, unde natum corruptum vocabulum *Callaïcus*, ex depravata veteris ſermonis pronuntiatione, minime vero Caji & Lucii Baſilicam, uti Fulvius volebat. Nam & Plinius (*Lib.* XXXV. *cap.* 14.) teſtatur, aedem iſtam ex lateritio lapide fuiſſe conſtructam, prout quoque eſſe cernuntur ſuperſtites hujus Templi ruinae.

BA-

a. 41



BASILICA ANTONINI, nunc DOGANA NOVA.



BASILICAM ANTONINI Victor ſtatuit prope Columnam ejus, & erat hoc in fine Fori.

Porticûs, ſive Templi ruina exſtabat olim in Platea *Petrae*, ut vocatur, juxta AEdem *D. Stephani de Trullo*, cujus AEdificii neque principium, neque finis apparet. Nihilominus columnae marmoreae undecim, ingenteſque, quae ſuperſunt, cum trabeatione, aliqui Baſilicam, alii vero Porticum malunt dicere. Sed multo rectius ipſum fuiſſe Templum conjicitur: nam & hoc oſtendunt parietes ſolidi, & pars fornicis, quae reſpicit aedes Seminarii Romani.

In hac Antonini Baſilica, quam Victor ponit in Regione IX. conſervabatur *Rationarium Provinciarum*, in quo perſcripta legebantur, quot, & quaenam Imperio ſubjectae eſſent Provinciae, & qui ad eas regendas miſſi fuiſſent Praeſides & Rectores, ita ut haberetur *Notitia Magiſtratuum Imperii Romani.*

His ruinis ſuperſtruxit Papa Innocentius XII. Palatium, ubi vectigalia ſolvuntur, cujus pulcherrimum ornamentum faciunt undecim iſtae ſuperſtites columnae. Architectus ejus fuit Eques Fontana.

Diametros iſtarum columnarum continet palmos Romanos VI. poll. V. ſunt vero ex marmore Pario, ordinis Corinthii.



a 42



SEPVLCRVM
CESTII.



Yramis haec ingens conspicitur apud Portam S. Pauli, constructa ex lapidibus marmoreis, magnis, & quadratis. Olim ea sita erat extra Urbis moenia, sed ab Aureliano ita muris est inserta, ut pars ejus introrsum, pars vero extrorsum vergat. Tota haec moles est quadrata, figura pyramidali, ad modum ignis in acutum tendens, dictaque Pyramis ἀπὸ τοῦ πυρός. Licet alii aliud vocis etymon adferant, a genere scilicet lapidis Thebaici, apud AEgyptios, quem πυροποίκιλον vocant Graeci.

Fuit haec moles Sepulcrum C. Cestii VII. Viri Epulonum. Liquet hoc ex titulo, inciso in utroque latere, intra Urbem versus Septemtriones, & extra illam versus Austrum.

C. CESTIVS. L. F. POB. EPVLO. PR. TR. PL
VII. VIR. EPVLONVM

In altera vero parte extra Urbem, quae spectat Austrum, litteris multo minoribus, haec duntaxat legas.

OPVS. APSOLVTVM. EX. TESTAMENTO. DIEBVS. CCCXXX
ARBITRATV
PONTI. P. F. CLA. MELAE. HEREDIS. ET. POTHI. L

At paullo infra, in latere utroque versus Septemtriones & Austrum.

INSTAVRATVM. AN. DOMINI. M DC LXIII

Epulones autem erant genus Sacerdotum, auctoritate & opibus alios omnes vincentium. Ita dicebantur ab epulis, teste Cicerone (III. *de Orat.*) quoniam epulas Diis instruendi potestatem haberent, & indicerent lectisternia cum epulis.

Alexander VII. Pont. Max. decrevit, hoc sepulcrum Cestii, jam ruinam minitans, restituere. Terra ergo egerenda & amovenda fuit, donec perveniretur ad operis crepidinem, ad altitudinem palmorum XXII. Hic tum reperiebantur sparsim jacentia columnarum fragmenta, operis striati, quae erectae positaeque sunt ad latus Pyramidis Septemtrionale, supra crepidines, ex lapide Tiburtino ibidem inventas; ea parte Pyramidis, qua per ostium illius ad interiora patet introitus. Inventae & bases, uti & egregii operis capitula. Eodem quoque tempore duae bases quadratae e marmore sunt repertae, super una earum pes adhuc conspicitur aereus, unde colligitur statuae altitudo, palmorum XIV. vel XV. Hanc positam fuisse C. Cestio, ex Inscriptione patet, quae eadem legitur in utraque basi, unde & duas eidem positas fuisse statuas, non est dubium. In Basibus ambabus legebatur, unius exempli & argumenti, Titulus.

M. VALERIVS. MESSALA. CORVINVS
P. RVTILIVS. LVPVS. L. IVNIVS. SILANVS
L. PONTIVS. MELA. D. MARIVS
NIGER. HEREDES. C. CESTI. ET
L. CESTIVS. QVAE. EX. PARTE. AD
EVM. FRATRIS. HEREDITAS
M. AGRIPPAE. MVNERE. PER
VENIT. EX. EA. PECVNIA. QVAM
PRO. SVIS. PARTIBVS. RECEPER
EX. VENDITIONE. ATTALICOR
QVAE. EIS. PER. EDICTVM
AEDILIS. IN. SEPVLCRVM
C. CESTI. EX. TESTAMENTO
EIVS. INFERRE. NON. LICVIT


Pyramidi crepido e Tiburtino lapide substrata est trium palmorum & dodrantis altitudine, opus

susti-

ſuſtinens, quod CLXV. palmos cum beſſe altum, in quadrum ad CXXX. palmos protenditur, laminis undique marmoreis candidiſſimis obtectum, ſeſqui-palmi craſſitie, reliquus ab omni latere paries XXXVI. palmos craſſus eſt. Statim ſupra crepidinis planitiem conclave continetur XXVI. palmos longum, latum XVIII. altum XIX. Haec interior cavitas facta erat, ad cadavera plura recipienda; parietes pictis candelabris, vaſis vinariis, tibiis, mulierum lugentium, & geniorum alatorum imaginibus pulchre illuſtrati.

Sunt, qui arbitrantur, harum imaginum pictorem fuiſſe Pacuvium Poëtam, alii Arellium, magni nominis pictorem, quem Plinius (*Lib.* XXXV. *cap.* 10. *ſub finem*) reprehendit, quod Dearum imagines pingeret, ad ſimilitudinem dilectarum mulierum.

SEPVL-



SEPVLCRVM
BIBVLI.

Ub Capitolio, qua parte Mons ipſe Forum Trajani ſpectat, ad Macellum Corvorum, ſic dictum a Familia Corvina, ſive Corvinorum, exſtat adhuc monumentum Sepulcri cum hac Inſcriptione.



C. POBLICIO. L. F. BIBVLO. AED. PL. HONORIS
VIRTVTISQVE. CAVSSA. SENATVS
CONSVLTO. POPVLIQ. IVSSV. LOCVS
MONVMENTI. QVO. IPSE. POSTEREIQVE
EIVS. INFERRENTVR. PVBLICE. DATVS. EST

Ex hoc titulo liquet, fuiſſe hunc C. Publicium Bibulum AEdilem Plebis. Quia vero in Urbe nemo ſepeliebatur, ideo honoris illius Viri, virtutiſque cauſſâ, in ipſo Sepulcri titulo adſcriptum id fuiſſe, cognoſcitur. Neque tamen clare ſatis indicatur; fueritne hoc Monumentum in ipſa Urbe, aut extra illam; quamvis vel exinde ſatis conſtet, intra moenia fuiſſe, quia caeteroqui privilegio non fuiſſet opus. Similis enim beneficii privilegium Claudiis publice conceſſum fuiſſe legimus, quorum ſepulcrum erat prope Portam Carmentalem. Teſtis Suetonius, in Tiber. (*cap.* 1.) *Agrum*, inquit, *inſuper trans Anienem clientibus, locumque ſibi ad ſepulturam ſub Capitolio publice accepit.* Itaque Romanae conſuetudinis fuiſſe hinc conjicitur, ut bene de Repub. meritis de publico ſepulcra in hac Urbis parte darent.

Verba haec Inſcriptionis, SENATVSCONSVLTO POPVLIQVE IVSSV, oſtendunt, datum & poſitum fuiſſe hoc Sepulcrum, quo tempore maxima fuit Reipub. potentia & auctoritas.

Hoc autem *Publicii Bibuli* Sepulchrum fuit, ab altera parte Capitolini Montis, prope Portam Triumphalem. Effigies aeri inciſa exhibet quidquid ex eo etiamnunc ſupereſt.



MAVSOLEVM
sive SEPVLCRVM HADRIANI,
nunc CASTRVM S. ANGELI.



SEpulcrum suum, sive Molem hanc aedificavit Hadrianus, ad ripam Tiberis, juxta sui nominis Pontem, non longe ab Hortis Domitiae. Capitolinus, in Antonino (*cap.* 5.) *Hadriano, apud Bajas mortuo, reliquias Antoninus Romam pervexit, sancte ac reverenter, atque in Hortis Domitiae collocavit*, hoc est, in Sepulcro, quod ipse sibi construxerat. Testis Dion, in Hadriano (*in fine*) *Sepultus est in ripa Fluminis, juxta Pontem AElium, illic enim sepulcrum conditum: jam enim Augusti monimentum repletum erat; nec quisquam amplius in eo sepeliebatur.* Spartianus. (*cap.* 19.) *Fecit & sui nominis Pontem, & Sepulcrum juxta Tiberim.* Inscriptio sequens hoc ostendit.

L. AELIO. CAES. DIVI. HADRIANI
AVG. F. COS. II. F.

In hoc autem ipse primus creditur sepultus fuisse, atque post eum omnium Antoninorum cineres conditos illic esse docent Inscriptiones, & in iis haec sequens.

IMP. CAES. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. FILIO
DIVI. NERVAE. NEPOTI. TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. XXII. IMP. II
COS. III. P. P. ET. DIVAE. SABINAE
IMP. CAESAR. T. AELIVS. HADRIANVS
ANTONINVS. AVG. PIVS. PONT. MAX. TRIB. POT. II
COS. DES. III. P. P. IMP. II

PARENTIBVS. SVIS

Antonini Pii epitaphium, in Hadriani mole, Romae.

IMP. CAESARI. T. AELIO. HADRIANO
ANTONINO. AVG. PIO. PONTIF. MAXIM
TRIB. POT. XXIIII. IMP. II. COS. IIII. P. P

Sic & Lampridius, in vita Commodi (*cap.* 17.) narrat, jussu Pertinacis, Commodum fuisse translatum in monumentum Hadriani. Et Julius Capitolinus, in Vero (*cap.* 11.) Veri cadaver illatum fuisse in illud idem sepulcrum. Errant enim, qui hoc de Severo intelligunt, quia hic Auctor loquitur de AElio Vero, & quod in eodem etiam Pater ejus naturalis fuerat sepultus.

Quod vero attinet ad Severi cadaver, de eo Spartianus refert (*in vita Severi cap.* 24.) *Severi Imp. urnulam auream, reliquias ejus continentem, in Antoninorum sepulcro illatam esse.* De cadavere autem ejus scribit. *Severus illic, ubi vita functus est, incensus fuit.*

Procopius his verbis describit totam molem: (*Lib.* I. *cap.* 18. *in initio*) *Hadriani quondam Imp. ſepulcrum extra portam Aureliam* (Alii hic legunt *AEliam*) *jactu lapidis impoſitum. Primus ejus ambitus quadrati figuram habet. Conſtat enim totus ex marmore Pario, ſumma artificum diligentia aedificatus. In medio vero hujus quadrati rotunda moles aſſurgit, excelſa altitudine, & tanta, ut in ſuprema ejus parte area ſit, cujus diametros vix jactu lapidis tranſigitur.*

Itaque moles haec Hadriani duos habuit ambitus: primus quadratus ex ſolidis lapidibus fuit: interior rotundus ex lapidibus coctis, incruſtatus Pario marmore; habuitque duplicem columnarum ordinem, quas nunc tranſlatas videmus ad S. Petri Baſilicam ornandam. Sed Montefauconius adnotat, Molis Hadrianeae columnas in Eccleſiam S. Pauli exportatas fuiſſe; atque Caſinenſes Monachos id tenere, ex antiquis inſtrumentis mutuatos: Columnae porro iſtae, numero LXXX. forma ſpectabili, totam Eccleſiae molem ſuſtinent. In iſtarum columnarum locum, novo muro tota moles eſt circumdata, ad Arcis munitionem. Pontifices enim Arcem ex hac mole conſtruxerunt munitiſſimam, complexi utrumque hunc ambitum Sepulcri Hadriani, quam vocarunt *Caſtrum S. Angeli*, eoque utuntur ad Urbis ipſius coërcitionem.

Fuit in ſummo faſtigio antiquitus ornata ſtatuis & ſignis hominum, equorum, quadrigarumque, omnibus miro artificio elaboratis, ex Parii marmoris genere albiſſimo. Manſerunt autem haec decora inviolata, uſque ad bellum Gothicum ſecundum. Tunc enim milites Beliſarii partim ſunt demoliti integra relicta; partim quae erant fracta dejecerunt in hoſtes. Deerant enim inſtrumenta belli alia & idonea, quibus ſe defenderent, ita ut neceſſitate cogerentur, fragmentis ſtatuarum hoſtes, ſcalis aſcendentes repellere.

In cacumine molis hujus ſtetit olim *Nux aenea*, inaurata, inuſitatae magnitudinis: & credebantur a multis, quamvis ex conjectura penitus incerta, cineres & oſſa Hadriani ſervata fuiſſe in hac Nuce, quae nunc in Palatii Pontificii loco, *Belvedere* dicto, poſita conſpicitur, una cum duobus pavonibus aeneis, inauratis, qui quatuor olim fuiſſe feruntur. Nucem autem hanc pineam ideo ſepulcro impoſuerant, ut planctum adumbraret Magnae Deûm matris, occiſo Aty Sacerdote ejus, qui in pinum converſus fingitur. Pavones addebantur, ut oſtenderetur, Auguſtas etiam in hoc ſepulcro fuiſſe conditas. Placebat enim Imperatoribus, ut vulgus crederet uxores Imperatorum, in conſecratione, alis pavonum, Junonis exemplo, in coelum vehi, uti hoc ex Numiſmatibus ſatis liquet, & conſtat.

Eſt id autem in hac mole maxime mirandum, quod intus tota oppleta & obſtructa cernitur, vixque unis ſufficiens ſcalis locus ſit relictus, ad deſcenſum in ejus interiora. Dixeris conſtructam potius munimento cuidam bellico, quam monumento ſepulcrali. Tot nempe ſumptuum & laboris impendebant Romani, ut aeternam & manentem firmitatem aedificiis ſuis darent, nominiſque ſui memoria foret immortalis & ſempiterna.

Caeterum, ſi Spartiano credimus (*cap.* 8.) Antoninus Pius Hadriani Patris ſepulcrum inſtauravit, eique Templum dedicavit.

Bonifacius IX. Mauſoleum Hadriani primus in Arcis formam conſtruxit; poſt eum Alexander VI. munitiones illius multum firmavit; Paulus IV. novas majoreſque adjunxit; hunc poſtea ſecutus Pius IV. hinc inde diruta a Philiberto Auriaco, Borbonii Ducis exercitus Caeſarei ſucceſſore, moenia Caſtri hujus reſtauravit; denique Vrbanus VIII. hanc Arcem variis modis reficiendam curavit, munivitque quinque propugnaculis, foſſiſque profundis: quo tempore e fundo terrae eruta fuerunt plurima ſtatuarum fruſta, quae milites Beliſarii in hoſtes dejecerant.

MAVSO-



MAVSOLEVM AVGVSTI.

E Mausoleo hoc illustris Suetonii locus est, in Augusto (*cap.* 100. *in fin.*) *Augustum*, inquit, *in Mausoleo condiderunt, id opus inter Flaminiam viam, ripamque Tiberis sexto* (alii legunt *tertio*) *suo Consulatu exstruxerat, circumjectasque silvas, & ambulationes in usum populi, tunc jam publicarat.* Tacitus (*Lib.* IV. *Ann. cap.* 44. §. 5.) hoc Mausoleum vocat *Octaviorum tumulum*, quemadmodum *Caji Julii tumulus* legitur, in Epit. Livii (*Lib.* CXI.) Et Strabo, in descriptione campi Martii (*Lib.* V.) *Commemoratione dignissimum est, quod Mausoleum appellant: excelsis fundatum molibus, lapide niveo, & perpetuae viriditatis arboribus coopertum, in summum usque verticem, ad fluminis ripam exaggeratum. In summo autem positum est Caes. Augusti simulacrum, ex aere fabricatum. Sub aggere ipso sunt ejus loculi, & cognatorum, & necessariorum: a tergo vero lucus est, mirifica continens ambulacra. In medio autem Campi spatio ejus busti exstat ambitus, & hic ipse niveo perfectus lapide, ferreos in circuitu cancellos habens, & plantatas interius prae se ferens populos.* Exstat vero etiam nunc interior murus orbicularis, reticulato opere: cum tamen olim, ut videtur, tres fuerint muri, invicem distantes, quorum intervalla rursus spatiis quibusdam distinguebantur, ut loculi plures efficerentur, quo seorsim condi singuli possent.

Voluerat enim Augustus, ut Mausoleum hoc non suum modo, sed omnium quoque cognatorum & Imperatorum esset sepulcrum. Augusti autem sepulcrum hic in medio locum suum habuit, a lateribus autem in muro conspiciebantur effossi loculi cognatorum & amicorum, quibuscum communem sibi esse illam sepulturam mandaverat. Testatur hoc Albinovanus (*Consol. ad Liviam, v.* 65.)

Vidimus erepta moerentem stirpe sororis.
Luctus, ut in Druso, publicus ille fuit.
Condidit Agrippam, quo te, Marcelle, sepulcro;
Et cepit generos jam locus ille duos.
Vix posito Agrippa, tumuli bene janua clausa est:
Perficit officium funeris, ecce, soror.
Ecce, ter ante datis jactura novissima Drusus
A magno lacrimas Caesare quartus habet.
Claudite jam, Parcae, nimium reserata sepulcra;
Claudite: plus justo jam domus ista patet.

Etiam Tacitus aperte testatur, Germanici cineres illatos fuisse in hoc Mausoleum (*Lib.* III. *cap.* 115. *Ann.*) *Dies*, inquit, *quo reliquiae tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies, plena Urbis itinera, conlucentes per Campum Martis faces.*

Augustus testamento jusserat, ut res a se gestae, tabulis aeneis incisae, ante molem tumuli sui suspenderentur. Dicitur & hic locus in laudem Augusti, Pacis & Victoriae, & P. P. inscriptionem habuisse, & olim fuisse incrustatus marmore Lunensi. Interior murus, multis figuris, & ornamentis reticulato opere variatus. Opus ipsum erat rotundum, sed intrinsecus ad fastigium ejus ascendebatur via plana, & cochlearum more paulatim assurgente, quod ex structura quatuor, aut quinque conclavium, memet praesentem observasse, memini.

Locus vero, ubi combustus fuerat Augustus, in Campo erat medio, albo distinctus saxo, ferreisque cancellis, & umbrosa arborum corona. Hinc colligunt, credibile videri, fuisse illic exusta quoque Augustorum, successorum illius, cadavera, vel cadaverum certe simulacra, & effigies. Herodianus (*Lib.* IV. *cap.* 2.) *Lectum extra Urbem perferunt in Martium Campum, ubi, qua latissime Campus patet, suggestus consurgit.*

Habuit haec moles in parte anteriore duos Obeliscos, quorum unum ad AEdem Liberianam Ma-

ximae Virginis in Exquiliis, per Sixtum V. erectum videmus: alter vero fractus sub terra latet a tergo AEdis D. Rochi.

Inventa hic quoque fuit talis Inscriptio.


PROC. MAVSOLEI
M. VLPIVS
AVG. L. AEGLVS
IMAGINEM
CORINTHIAM
TRAIANI. CAESARIS
COLLEG. FAENARIOR
D. D.

Inventum hic est aliud quoque marmor, cum hoc Epitaphio.

DIS. MANIB
M. VLPIO
MARTIALI
AVG. LIB
A. MARMORIBVS

Subter hoc AEdificium ingentes adhuc reperiuntur cellae, profundissimaeque, in quibus hodie reconduntur vina plurima, frigoris caussa, adversus aestum Solis. Sunt & hic varia ambulacra, ruinis hinc inde, ut ipsemet vidi, oppleta.

SEPVL-



SEPVLCRVM
sive COLVMNA TRAIANI.





OLVMNA haec, jussu Senatus Populique Romani, erecta est, in honorem & memoriam perpetuam Imperatoris Trajani, prout ex illius patet Inscriptione, in basi.

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS
IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE
TRAIANO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF
MAXIMO. TRIB. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P. P
AD. DECLARANDVM. QVANTAE. ALTITVDINIS
MONS. ET. LOCVS. TAN   BVS. SIT. EGESTVS

In ultimo versu Inscriptionis hujus desunt syllabae aliquot, has Marlianus ita supplet TAN*tis operi*BVS. Egnatius TAN*tis opi*BVS. Donatus TAN*tis ex colli*BVS. Gruterus TAN*tis ruderi*BVS. Tot modis Viri docti restituere hanc Inscriptionem, in ultimo versu detritam, sunt conati. Sed Montefauconius (*in Diario suo*) veram ejus lectionem adtulit, ex Anonymo quodam, edito a V. Cl. Mabillonio (*in* IV. *Analect. Tomo pag.* 502.) MONS. ET. LOCVS. TANTIS. OPERIBVS. SIT. EGESTVS. Addit Montefauconius; Marlianus veram attigit lectionem TANTIS. OPERIBVS. Nemo enim arbitretur, Anonymum IX. seculi conjecturis Inscriptionem hanc restituisse, sed qualis suo tempore legebatur, integram intactamque exarasse.

Suspicantur, Trajanum ipsum Columnam hanc numquam vidisse; eo quod, e Persis rediens, in itinere apud Seleuciam, Ciliciae urbem, fluxu sanguinis decesserit.

Columna haec fuit posita, ut ossa Trajani sub ea quiescerent, & cineres ejus illic custodirentur Testis Dion (*Lib.* LXIX. *in initio.*) *Trajani*, inquit, *ossa in illius Columna condidit.* Et Cassiodorus (*in Chronico*) *Ossa in urna aurea collocata, sub Columna Fori, quae ejus nomine vocatur, recondita sunt.* Eutropius (*Lib.* VIII.) scribens. *Solus omnium intra Urbem sepultus.* Verumtamen hoc fuisse privilegium facile concedimus, sed non uni huic tributum. Cicero enim (*Lib.* II. *de Legibus cap.* 23.) Legem XII. Tab. ea de re sancitam, ita interpretatur. *Hominem mortuum*, inquit, *Lex in* XII. *Tabulis, in Urbe ne sepelito, neve urito* (*credo vel propter ignis periculum. &c.*) Clari tamen Viri interdum in Urbe sepeliebantur, singulari privilegio, quorum posteri, teste Cicerone (*ibid.*) hoc jure tenuerunt; & ii, qui Legibus erant soluti, ut Imperatores, & Virgines Vestales, qui sepulcra sua habebant in ipsa Urbe.

At cur sub Columna? Ejus rei haec ratio redditur. Apud Majores, Principes, nobilesque viri sub montibus sepeliebantur. Virgilius huc respicit, dicens, (VI. *AEneid.* ℣. 234.)

Monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur.

Neque tamen omnibus in locis, ubi sepulcra erant excitanda, montes reperiebantur. Hinc factum; ut super cadavera, aut pyramides fierent, aut ingentes aedificarentur turres, & columnae. Dicta vero *columna* putatur, quod culmen sustineret: sed postea etiam ad pompam & magnificentiam erigebantur.

Columna haec tota, intus & foris, ex marmore Pario est constructa, lapidibus constans integris & majoribus XXXIIII. stylobata constat VIII. frustis ingentibus: plinthus unico: torus unico: scapus XXII: capitulum unico: stylobata statuae unico. Ad summum ejus culmen ascenditur per gradus CLXXXV. qui illustrantur fenestris XLIII.

Extrinsecus insculptae sunt, opere anaglyphico, res gestae Trajani, in bellis contra Armenios, Parthos & Dacos, Regemque eorum Decebalum. Dividitur autem hoc Bellum in expeditiones duas, in medio Columnae hujus divisas, ab intermedio Victoriae simulacro, ab utraque parte tropaeis cincto, in quibus conspiciuntur insignia gentium Dacorum & Sarmatarum, ut videre licet in effigie Columnae hujus (*n.* 58.) Bella vero haec repraesentantur imaginibus MMD. magnitudinis propemodum palmorum trium, &, quod admirabilius habetur, opera unius sculptoris & scalpri.

In hac Columna conspiciuntur munitionum formae plures, pontes, propugnacula, navesque, opera quoque militaria plurima, lignantium, fossas agentium, adaquantium equos, castra metantium, aedificantium, in triumpho euntium, tropaea ferentium. Habentur & in ea formae galearum, thoracum, scutorum, clypeorum, zonarum, lituorum, pugionum, pilorum, gladiorum, pharetrarum, armorumque aliorum; trajectus item, castra, adlocutiones, sacrificia, pugnae, & victoriae in ea cernuntur. Apollodorus, statuarius celeberrimus, Architectus hujus Columnae fuisse scribitur.

In fastigio habuit colossum, seu statuam ipsius Trajani, ex aere inaurato, cujus sinistra tenebat hastam, dextra vero orbem, seu pilam auream, & intra eam reconditi ejus servabantur cineres, ut volunt aliqui. Alta fuit haec statua pedes Romanos XXI. at vero, ut Bellorius numerat XVIII. Pondus totius Columnae fuit quinquagies decies centenorum millium librarum. Deprehendit enim Camillus Agrippa, Mediolanensis Architectus, exacto calculo, eam molem aequare bis mille centum admodum mensuras, quas Romani vocant *Carrettate*, quarum singulis palmis octoginta libras tribuunt.

Haec tam sumptuosa & praeclara moles merito suo illustre habetur Romanae potentiae, & magnitudinis argumentum; Memphiticis certe Pyramidibus nulla parte est inferior, nec minoris aestimanda.

Paulus III. Pontif. Max. totam ejus basin, ruderibus obrutam, erui & detegi curavit, ita ut nunc circuiri possit. Dominicus autem Fontana Eques eam restauravit, omnibus in locis, ubi quid corruptum, aut a temporum injuria deletum reperiebatur, jubente Sixto V. qui & An. cIↃ IↃ LXXXVII. in locum statuae Trajani, quae inde deciderat, aut fuerat ablata, restituit super hanc Columnam simulacrum Sancti Petri, altum palmos Rom. XIX. ex aere deaurato. Est autem eum in modum constituta, ut spectet in Vaticanum, ubi augustissimum ejus est templum.

In Fastigio Columnae, ad S. Petri pedes incisa, & in quatuor partes distincta, legitur haec Inscriptio.

SIXTVS. V. B. PETRO. APOSTOLO. M D LXXXVIII.

Columna tota, ab ejus imo, usque ad Sancti Petri capitis verticem, alta est palmos Romanos CXCIII. cum dimidio. Diametros ejus prope basin complectitur palmos XVI. cum sesqui pollice, ita ut hic diametros totidem in se contineat pollices, quot moles tota palmos alta esse cognoscitur.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX EFFIGIERVM,

Ut Operi inſerantur e regione Titulorum a Bibliopego.

Effigies primi Tomi omnes Notam habent Lit. *a*

TOMVS I.

RELIQVIAE
ANTIQVAE
VRBIS ROMAE,

Quarum ſingulas

INNOCENTIO XI. ALEXANDRO VIII. & INNOCENTIO XII.
PP. MM.

diligentiſſime perſcrutatus eſt, ad vivum delineavit,
dimenſus eſt, deſcripſit, atque in aes incidit


BONAVENTVRA AB OVERBEKE.

OPVS POSTVMVM

MICHAEL AB OVERBEKE

ſuis ſumptibus edi curavit.

TOMVS II.



AMSTELAEDAMI
excudit IOANNES CRELLIVS. Anno cIↃ IↃCC VIII.
CVM PRIVILEGIO.



L'ARC DE TITE.




L'Arc de Tite, qui eſt bâti de Marbre, & le plus ancien qu'il y ait aujourd'hui, eſt ſitué entre la Place Romaine & l'Ampithéatre de Flavius, tout auprès de l'Egliſe de S. Marie la Neuve.

L'Inſcription ſuivante nous aprend qu'il fut érigé à l'honeur de Tite par le Senat & le Peuple Romain.



SENATVS
POPVLVSQVE. ROMANVS
DIVO. TITO. DIVI. VESPASIANI. F
VESPASIANO. AVGVSTO

C'eſt-à-dire, *Le Senat & le Peuple Romain* conſacrent ce Monument *à* l'honeur de *Tite Veſpaſien Auguſte*, *Fils de Veſpaſien.*

Lucius Faunus raporte une autre Inſcription, qui fut trouvée dans le voiſinage, parmi des ruines, & qui étoit peut-être ſur la façade du ſecond Arc. La voici,

IMP. TITO. CAESARI. DIVI. VESPASIANI. F
VESPASIANO. AVG. PONTIFICI. MAXIMO
TRIB. POT. X. IMP. XVII. COS. VIII. P. P
PRINCIPI. SVO. S. P. Q. R
QVOD. PRAECEPTIS. PATRIS. CONSILIISQVE. ET
AVSPICIS. GENTEM. IVDAEORVM. DOMVIT. ET
VRBEM. HIEROSOLYMAM. OMNIBVS. ANTE. SE
DVCIBVS. REGIBVS. GENTIBVSQVE. AVT. FRVSTRA
PETITAM. AVT. OMNINO. INTENTATAM. DELEVIT

C'eſt-à-dire, *Le Senat & le Peuple Romain* conſacrent ce Monument *à* la gloire de *Tite Ceſar Veſpaſien Auguſte*, *Fils de Veſpaſien*, *Souverain Pontiſe*, *Tribun pour la* 10. *fois*, *Imperator pour la* 17, *Conſul pour la* 8, *Pere de la Patrie*, *leur Prince*, *pour avoir*, *par les conſeils & ſous les auſpices de ſon Pere*, *domté les Juifs*, *& détruit la Ville de Jeruſalem*, *que tous les Généraux d'Armée*, *avant lui*, *pluſieurs Rois & Nations avoient attaquée inutilement*, *ou dont ils n'avoient oſé faire le Siege.*

Son Triomphe des Juifs eſt repréſenté en relief ſur les Murailles, au deſſous de la voute de cet Arc. D'un côté, on y voit l'Empereur dans un Char, couronné par une Victoire ailée, l'Arche de l'Alliance vient enſuite, & il y a des Licteurs, ou des Sergens, qui précedent avec douze Faiſceaux. De l'autre côté paroiſſent les Trophées, le Chandelier d'or, les Tables de la Loi, & pluſieurs Vaſes du Temple de Jeruſalem. Tite eſt au milieu de la Voute, ſur un Aigle, dont les ailes ſont déploiées, & qu'il tient de l'une & de l'autre main. Les Juifs repréſentez ſur les Façades, avec les mains attachées derriere le dos, ſont conduits en eſclavage, comme un troupeau de Bêtes. On peut lire Joſephe là-deſſus (*Liv.* VII. *de la Guerre des Juifs*, *Ch.* 24.) où il parle de la magnificence de cet Arc, & de la pompe de ce Triomphe.

Il y en a qui croient que cet Arc fut erigé après la mort de Tite; parce qu'il y paroît sur un Aigle, & qu'ils prennent cela pour une marque de son Apothéose. Il semble même qu'Herodien est de cette opinion, lors qu'il parle (*Lib.* IV. *cap.* 2.) en ces termes : *Car*, dit-il, *c'est la coûtume des Romains, de consacrer les Empereurs, qui laissent des Enfans, ou des Successeurs, après leur mort; & ceux à qui l'on fait cet honeur, sont mis, à ce qu'ils prétendent, au rang des Dieux.* Quoi qu'on n'accordât cet honeur à personne, qu'après que le Corps étoit inhumé, que les Ceremonies des Funerailles étoient achevées, & que le Bûcher étoit reduit en cendres; Angelo & Nardin veulent que cet Arc fut élevé durant la Vie de Tite, & que l'Epithéte de *Divus*, que l'Inscription lui donne, n'est pas une preuve du contraire, puis qu'on le donnoit quelquefois aux Empereurs vivans. Mais je ne suis pas de leur avis, apuié sur le témoignage de Tacite, (*Ann.* XV. *cap.* 74. § 4.) qui dit; *Je trouve dans les Commentaires du Senat, que Cerealis Anicius designé Consul fut d'opinion,* Qu'on élevât au plûtôt, & aux dépens du public, un Temple à l'honeur du Divin Neron. *Anicius le lui decernoit, comme s'il avoit déja quité le faîte des Grandeurs mortelles, & qu'il méritât la veneration des Hommes; mais ce n'étoit qu'un présage de sa mort future : car un Prince n'est mis au rang des Dieux, qu'après qu'il a cessé de vivre entre les Hommes.* J'embrasse donc le sentiment d'Olaus Borrichius, qui s'exprime de cette maniere : *Je suis persuadé*, dit-il, *que cet Arc fut érigé, après la mort de Tite, comme son Apothéose, qui paroit sur la Voute, en est une preuve sensible. On y voit cet Empereur sur le dos d'un Aigle, prèt à s'envoler au Ciel, & je m'étonne qu'Angelo, & Nardin, qui est d'ailleurs fort exact, n'y aient pas pris garde.*

Les Colomnes en sont canelées, de Marbre de Paros, & de l'Ordre composé; & leur Diametre est de 2 Palmes Romains & 10. Pouces.

Nous donnons ici trois différentes Estampes de cet Arc, afin qu'on en puisse mieux connoitre toutes les parties.

b 2



b 3



b 4



A R C V S
S E P T I M I I S E V E R I.



RCVS SEPTIMII SEVERI exſtat etiamnum ad radices Capitolii, cum hac Inſcriptione.



IMP. CAES. LVCIO. SEPTIMIO. M. FIL. SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG. PATRI. PATRIAE. PARTHICO. ARABICO. ET
PARTHICO. ADIABENICO. PONTIFIC. MAXIMO. TRIBVNIC. POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET
IMP. CAES. M. AVRELIO. L. FIL. ANTONINO. AVG. PIO. FELICI. TRIBVNIC. POTEST. VI. COS. PROCOS. P. P
OPTIMIS. FORTISSIMISQVE. PRINCIPIBVS
OB. REM. PVBLICAM. RESTITVTAM. IMPERIVMQVE. POPVLI. ROMANI. PROPAGATVM
INSIGNIBVS. VIRTVTIBVS. EORVM. DOMI. FORISQVE. S. P. Q. R

Fuere quondam hujus Inſcriptionis litterae aereae omnes, & bipedales, ſed a Gothis, in Urbis direptione, eraſae & ſublatae.

Arcus iſte in Imperatoris hujuſce honorem poſitus, erectuſque eſt, Parthis altera jam vice devictis, Herodiano (*Lib.* III. *cap.* 9.) & Dione (*Lib.* LXXV.) teſtibus, eodemque tempore florentibus.

Marlianus, Panvinius & Nardinus, uti & Hadrianus Auzoutius, vir antiquitatum omnium ſcientiſſimus, affirmant; Severo mortuo, ab Antonino Caracalla maligniſſime eraſum fuiſſe verſum quartum, in quo haec verba fuiſſe ſuſpicantur.

ET. P. SEPTIMIO. GETAE. NOBILISSIMO. CAESARI. OPT

In quorum locum haec, quae ſuperius leguntur, ſubjicere juſſerit.

OPTIMIS. FORTISSIMISQVE. PRINCIPIBVS

Eſt haec autem conjectura non prorſus vana; ſiquidem marmoris ſuperficies aliquanto hic eſt depreſſior, & indicat, priores litteras eraſas eſſe, ſubſtitutis aliis, & ipſae litterae non ejuſdem ſunt magnitudinis, qua aliae. Idem Caracalla ſimili forte modo delevit, & mutavit quaedam in Arcu Severi, in Foro Boario.

Ad hujus Arcus ſuperius ſpatium aſcenſus eſt, per gradus quinquaginta marmoreos.

In parte Arcus ſuprema, ſeu planitie tecti, conſpicuus olim fuit ipſe Imperator Caracalla cum Patre & Fratre, triumphali habitu, inſiſtens currui, quem ſex equi praecedebant & trahebant, cujuſque latus utrumque claudebant bini equites armati, cum peditibus duobus, prout hoc teſtantur Numiſmata, Arcus hujus effigiem referentia.

In ipſo Arcu, opere anaglyphico, marmore Pario expreſſae cernuntur hujus Severi res feliciter geſtae contra Parthos, Arabas, & Adiabenos, poſt exſtinctos & occiſos Peſcennium Nigrum & Clodium Albinum, Imperii hoſtes & tyrannos. Viſuntur hic quoque Victoriae alatae cum tropaeis, geniis, varii generis frugibus, & animalibus devictarum Provinciarum, Diiſque Fluminum.

Fornix floribus aliiſque ornamentis exciſis decoratus conſpicitur.

Junctae ſunt Arcui octo Columnae ſtriatae, ordinis compoſiti, quarum diametros eſt palmor. Rom. III. & pollic. XI.

b 5



ARCUS
HORATII COCLITIS vulgo habitus, revera INCOGNITUS.


Dfirmat Marlianus, nihil certi ſe habere, quid de hoc ultimae Antiquitatis Monumento ſit ſtatuendum. Plane enim ambiguum manet, fueritne Fornix Antiquus, an vero una veterum Urbis Portarum. Et, ſi vera ſunt, quae leguntur in Deſcriptione Urbis, edita per Franciſcum de Seine, Pariſiis (*pag. mihi* 600.) marmore veſtitum hoc monumentum manſiſſe, uſque ad Sixti IV. tempora; non caret ratione probabili, hoc in loco poſſe inveniri verum ſitum veteris Portae Trigeminae, de quo eruditi multum inter ſe digladiantur. Portae enim alicujus formam magis prae ſe fert ſtructura hujus monumenti, quam antiqui cujuſdam Fornicis, ſive Arcus. Quin & Inſcriptio hic reperta, & a Marliano adducta, nihil habet, quod probet contrarium, aut aliquid non obſcurum indicet.

P. LENTVLVS. CN. F. T. QVINTVS. CRISPINVS
VALERIANVS. EX. S. C. FACIVNDVM
CVRAVERE. IIDEMQVE. COMPROBAVERE

Horatii autem Coclitis Arcum hic ſtetiſſe (ſi fuit aliquis) non mihi ſit veriſimile. Longius enim abeſt a Ponte Sublicio; & ſatius videtur, ut muri Urbis veteris hic collocentur potius, quam aliquis locus celebrior intra moenia. Conſtat autem, Arcus & Fornices poſitos fuiſſe ſemper, in maxime frequentatis Urbis vicis, ac viis. Et ſunt praeterea incertiſſima omnia, quae de uſu & diſcrimine Fornicum, & Arcuum leguntur, apud Auctores priſcos, ut puta Romuli, atque forte hujus etiam Horatii Coclitis, & aliorum.



A R C V S
SEPTIMII SEVERI in Foro Boario, vulgo dictus AVRIFICVM.



N Foro Boario, non longe ab AEde Divi Georgii, visitur Arcus marmoreus, quem Argentarii, & Negotiatores istius Fori posuerunt Septimio Severo, Juliae Augustae, Filiisque, Antonino Caracallae & Getae, prout in Inscriptione ejus legitur.



IMP. CAES. L. SEPTIMIO. SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG. ARABIC. ADIABENIC. PARTH. MAX. FORTISSIMO. FELICISSIMO
PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. XII. IMP. XI. COS. III. PATRI. PATRIAE. ET
IMP. CAES. M. AVRELIO. ANTONINO. PIO. FELICI. AVG. TRIB. POTEST. VII. COS. III. P. P. PROCOS. FORTISSIMO. FELICISSIMOQVE. PRINCIPI. ET
IVLIAE. AVG. MATRI. AVG. N. ET. CASTRORVM. ET. SENATVS. ET. PATRIAE. ET. IMP. CAES. M. AVRELI. ANTONINI. PII. FELICIS. AVG
PARTHICI. MAXIMI. BRITTANNICI. MAXIMI
ARGENTARI. ET NEGOTIANTES. BOARI. HVIVS. LOCI. QVI. INVEHENT DEVOTI. NVMINI. EORVM

Getae vero nomen, occiso eo, erasum ab ejus Fratre Antonino Caracalla, deprehenditur ex litteris depressis, ac mutatis: & primo quidem ad illa verba.

PROCOS. FORTISSIMO. FELICISSIMOQVE. PRINCIPI

Quorum vice restituenda erunt.

ET. P. SEPTIMIO. GETAE. NOBILISSIMO. CAESARI

Sic pro illis.

PARTHICI. MAXIMI. BRITTANNICI. MAXIMI

reponendum.

ET. P. SEPTIMII. GETAE. NOBILISSIMI. CAESARIS

Quod dicimus, colligitur quoque ex cognomine PARTHICI, quod multo post patrem mortuum Caracalla sibi demum sumpsit.

In Inscriptionis ultimo versu, post vocabulum LOCI, leguntur infra quasi scriptae duae voces aliae, QVI. INVEHENT. Esse eas de Negotiatoribus intelligendas conjicit Nardinus, qui nempe ad solvendas Arcus impensas conferre pecunias recusarint, ideoque haec verba a caeteris addita, post decretum factum; ne illi, qui recusarant, priusquam contulissent, admitterentur, ad merces suas illic vendendas.

In hoc Arcu, Hercules ab uno latere comitem habet Bacchum: & sane Dii utrique Severi auspices fuerunt. Sed in alio latere, Bacchi simulacrum aut temporum injuria periit, aut latet inclusum muro proxime adjunctae Ecclesiae Sancti Georgii, cum angulo Arcus ipsius. In pilis utriusque lateris sculptae sunt aquilae, cum clypeis & imaginibus Severi, & Filiorum ejus: & infra sacrificalis pompa, victimarius, victima & popa cum securi.

Plurima exſtant in hoc Arcu triumphalia ornamenta, non autem tropaea, ſed tantum ſigna militaria, & ſacrorum inſignia, ſive ad publica vota, ob reditum Severi, Parthis devictis. Herodianus (*Lib.* III. *cap.* 9.) ſive ad Secularia, celebrata hoc anno. Zoſimus (*Lib.* II. *cap.* 5.) ejuſdem Imperatoris Tribunitia poteſtate XII.

Arcum ingreſſis a dextris viſuntur Severus & Julia, ſacra peragentes ad tripodem; ſive ſit haec Dea Pax cum caduceo, cui haerebat alia imago, e marmore abraſa. A ſiniſtris cernitur Caracalla pariter ſacrificans ad tripodem, abraſo quoque Geta fratre.

In Baſibus etiam ſculpta videntur ſacrorum inſtrumenta; hinc lituus, praeſericulum, patera, pileus flaminius, aſpergillum, cultri. Ab altera parte acerra, ſecuris, patera, victimae, praeſericulum, malleus, ampulla. Infra victimarii, popa taurum feriens, tibicen, camillus, ſacerdos. Occidentale latus Arcus Parthos captivos catenis vinctos a Romanis exhibet. Orientale latus muro Eccleſiae S. Georgii concluſum tegitur. Infra ſtat bubulcus baculo boves agens, index Fori Boarii.

Opus totum marmore conſtat Pario. Pilarum vero lateris latitudo eſt palmi Romani unius & decem pollicum. Frontis vero palmi unius, & octo pollicum. Ordo operis eſt compoſitus.

ARCVS



ARCVS GALLIENI.

Rcvs Gallieno Imperatori positus conspicitur, apud AEdem D. Viti, omnibus tamen ornamentis carens. Legitur in fasciis Titulus sequens.


GALLIENO.CLEMENTISSIMO.PRINCIPI.CVIVS.INVICTA.VIRTVS.SOLA.PIETATE.SVPERATA.EST.ET.SALONINAE.SANCTISSIMAE.AVGV
M. AVRELIVS. VICTOR. DEDICATISSIMVS. NVMINI. MAIESTATIQVE. EORVM

Arcus hic fuit etiam Triumphalis. In ejus Inscriptione, Saloninae Augustae fit mentio, sed non constat exinde, cujus jussu & auctoritate a Marco Aurelio Victore fuerit positus. Trebellius Pollio (*Gallieno cap.* 10.) *Denique Odenatus, statim bellum Persis, in vindictam Valeriani, quam ejus filius negligebat, indixit. Nisibin & Carras statim occupat, tradentibus sese Nisibenis, atque Carrenis, & increpantibus Gallienum. Nec defuit tamen reverentia Odenati circa Gallienum; nam captos Satrapas, insultandi prope gratia, & ostentandi sui, ad eum misit, qui cum Romam deducti essent, vincente Odenato triumphavit Gallienus.* &c.

Caeterum jussu Senatus Populique Romani, ob aliquam ab hostibus reportatam victoriam, Imperatoribus Arcus triumphales erigebantur. Ita Druso in Via Appia, propter Germaniam devictam, excitatus fuit Arcus, de quo loquitur Suetonius (*in Claudio cap.* 1.) & habemus ejus effigiem, in Nummis Arschotanis (*Tab.* XIX. *Num.* 14.) Sed & ipsi Germanico unus fuit exstructus Romae, teste Tacito (*An.* II. *cap.* 83.) Neroni etiam Arcus fuit positus, in area Capitolii, post Parthos a Domitio Corbulone caesos, ut ait Tacitus (*An.* XIII. *cap.* 4.) qui etiam conspicitur in Nummis Arschotanis (*Tab.* XX. *Num.* 19.) Quin etiam erectus fuit Arcus triumphalis, Tiberio Principe, ob signa Vari recuperata, prope Templum Saturni, ut prodidit Tacitus (*Annal.* II. *cap.* 41.) qui & aliorum Arcuum meminit, ornatorum simulacris Drusi & Germanici, ab utroque latere Templi Martis Ultoris (*An.* II. *cap.* 64.) Denique Domitianus solitus erat, nulla de caussa, passim per Urbem construere Arcus, cum quadrigis & tropaeis, ut Suetonius notat (*in ejus vita cap.* 13.) Et habemus talem Arcum Domitiani in Nummis Arschotanis (*Tab.* XXXII. *Num.* 9.)

Totus hic Arcus e Tiburtino factus est lapide, cum ejusdem materiae Pilis, ordinis Corinthii, latis palm. Rom. III. & pollic. VII.

1 8.



ARCVS CONSTANTINI.



Rcvs Constantini, totus ex Pario marmore factus, stat in initio viae Appiae, ad imum angulum Montis Palatini, versus Orientem. Paene integer est, & illaesus. Senatus Populusque Romanus hunc Arcum poni curavit, Maxentio ad Pontem Milvium devicto, sicut hoc ostendunt Inscriptiones ab utraque parte, uno & eodem exemplo, scriptae.



IMP. CAES. FL. CONSTANTINO. MAXIMO
P. F. AVGVSTO. S. P. Q. R
QVOD. INSTINCTV. DIVINITATIS. MENTIS
MAGNITVDINE. CVM. EXERCITV. SVO
TAM. DE. TYRANNO. QVAM. DE. OMNI. EIVS
FACTIONE. VNO. TEMPORE. IVSTIS
REMPVBLICAM. VLTVS. EST. ARMIS
ARCVM. TRIVMPHIS. INSIGNEM. DICAVIT

A fronte, qua Colossaeum respicit, legitur a dextra, supra bina Numismata.

VOTIS. X. a sinistra VOTIS. XX

Ab altera vero fronte, quae viam Appiam spectat, a dextra legitur eodem loco.

SIC. X. a sinistra SIC. XX

Indicantur his verbis *Vota decennalia & vicennalia*, nuncupata totidem annis saluti ejus a Populo. Mos hic, derivatus ab Augusto, vigebat ad illam usque aetatem. Dion (*Lib.* III.) *Caesar*, inquit, *Augustus*, *quo longius Romanos a suspicione Regiae potestatis, sibi propositae, abduceret, imperium in suos decennale suscepit. Et, cum primum decennium exivisset, aliud quinquennium: post decennium, ac eo finito aliud iterum decretum est, ita ut, continuatis decenniis, per totam vitam summam Imperii obtinuerit. Quam ob caussam posteriores quoque Imperatores, etsi non ad certum tempus, sed per omne vitae spatium iis Imperium deferatur, tamen singulis decenniis festum pro ejus renovatione agunt, quod hodie etiam fit.* Facile ergo hinc licet conjicere, Senatum Populumque Romanum, ut gratificarentur Augustis, votorum mentionem fecisse in ipso Arcu, hujus renovationis Imperii per festa decennalia habita ratione.

Haec igitur vocabula VOTIS X & VOTIS. XX. & SIC. X SIC. XX. Idem plane significant. *Est autem* frequens mentio votorum X, XX, XXX, XXXX. in Numismatibus.

Arcvs ipse triumphalibus ornamentis est exsculptus, & in his sunt simulacra belli, oppidorum, fluviorum, gentium, quas devicerant. Sub Arcu medio ex latere utroque conspicitur effigies Trajani, (non Constantini, ut mox dicetur) marmorea, inter signa & cuneos militares, sive insidentis equo, & invadentis accurrentium hostium catervas; sive stantis, gentibusque victis imperantis. Supra ejus verticem Victoria lauream sustinet, adduntur que Tituli LIBERATORI. VRBIS. Ab altera parte idem Trajanus, victor in Urbem redit, devictis Dacis, Roma & Victoria comitibus, quae capiti ejus lauream imponit cum hoc Titulo FVNDATORI. QVIETIS.

Est vero in primis notatu dignum, esse quaedam in hoc Arcu mira arte sculpta; quaedam vero nullo modo probari. Et quidem non immerito praeclara illa arbitrantur ex aliquo Trajani monumento fuisse detracta. Hoc autem cum maxime comprobant Trajani imagines cum simulacris Dacorum & Parthorum, ab eo subjugatorum. Quae item supra Arcus hujus columnas positae supersunt octo statuae bellissimae, earum capita (si Jovio credimus) Laurentius Mediceus clanculum sustulit, Florentiamque avexit.

Est igitur hic Arcus ex variis ruinis vetustorum operum, & Trajani praesertim monumentorum, nulla

nulla tamen habita ratione temporum, & ordinis rerum gestarum, congestus. Hujus rei conspiciuntur tria egregia exempla, in hac addita effigie. Nimirum in parte superiore, versus Montem Coelium, videtur icon praelii equitum Romanorum contra Dacos: in Dacorum clypeis leonum, in Romanorum Fulminis conspiciuntur insignia. Paullo infra in Numismate habes imaginem Victoriae palmiferae, similitudine genii insistentis currui Solis Orientis, inter Phosphorum & Oceanum, seu Mare, palmiferi senis specie. In interiore Arcus porta stat Trajanus, equo insidens, lanceam tenens, hostem ferientis imagine, & Dacos oppugnans, qui vel sub pedibus ejus jacent; vel accurrentes vitae veniam precantur; vel quorum amputata capita a militibus Romanis Caesari offeruntur, inter quos duo sunt signiferi.

Quod vero attinet ad Victorias alatas, Flumina supra minores fornices, captivosque ac signiferos, in stylobatis columnarum, cum tabellis parvis, sub Numismatis, ad Constantini aetatem & res gestas est trahendum. Dat hic Constantinus congiarium populo, loquitur in Senatu, adgreditur muros, pugnat, triumphat. Haec vero omnia tam ineleganter & imperite sunt elaborata, ut dolendum sit optimi marmoris bonam partem in iis operibus fuisse corruptam. Haec sculptorum & pictorum arti pernicies primum coepit tempore Gallieni, prout id ipsum ostendunt quoque Numismata sub hoc Imperatore, & eum sequentibus, cusa. Senatus enim Romanus, ut Imperatoris Constantini triumphorum recordationem posteritati redderet non ignotam, praestantissima Trajani monumenta destruere non est veritus.

In Arcus hujus effigie, quam exhibemus, altera, haec in primis observanda veniunt. Quatuor hic visuntur icones, desumptae ex Arcu Trajani opere anaglyphico.

In prima Tabella, seu effigie, Trajanus Ctesiphonta profectus, pro concione multa praefatus, ex suggestu Parthenaspatem Regem Parthorum nominat. Parthenaspates praesens adstat, in pellita chlamyde, sed braccatus, ante suggestum, & inferiore loco sub Imperatore adstant & Romani, ac milites, gestantes signa relata, & fercula victoriarum.

In secunda, transfugarum unus, in Mysiam profectus, ad occidendum Trajanum, coram Imperatore sistitur, cui indicat insidias Decebali. Dion (*Lib.* LXVIII.)

In primo Numismate ostenduntur Trajani venatores, & servi custodes canum & equorum.


In altero, quod Herculi Victori & Rustico sacrum habetur, cernitur Trajanus, capite detecto, pateram dextra tenens, ante accensum ignem in ara.

Paullo infra Constantinus transgressus Alpes, captisque plurimis in Italia Urbibus, quum Ruricii Maxentium Ducem profligasset, Veronam occupat.

Columnas striatas etiam nunc Arcus hic habet septem, una namque periit & abest, ordine Corinthio, diametros illarum est palmorum Rom. III. & poll. XI.

OBE-

b o



b. 10



OBELISCVS

S. MAHVTI.




OBELISCVS hic quando, & a quo Romam ſit advectus, ignoratur. Inventus fuit terra obrutus prope Templum Iſidis, erectuſque ante AEdem Sanctorum Bartholomaei, Alexandri & Mahuti Epiſcopi, a quo etiam fuit denominatus, temporibus Pauli V. Dicitur a nonnullis ſtetiſſe in Foro Minervae.

Iſium, *Serapium* & *Minervium* templa inter ſe vicina fuere, prope viam eam, quae hodie, ab Obeliſco S. Mahuti, uſque ad aream Collegii Romani, porrigitur. Favet huic conjecturae alterius Obeliſci fragmentum, muro Eccleſiae S. Mahuti inſertum, quod annis abhinc aliquot ad poſticum Collegii Romani fuit: uti & alius integer, quem retro Eccleſiam Minervae, ad januam minorem, quae altari majori proxima eſt, in terra abjectum, illi S. Mahuti ſimilem memorant. Et plura talia fragmenta in eadem vicinia reperta fuiſſe, aliqui teſtantur.

Eſt autem coloris rubicundioris prae aliis, uno & ſolido conſtans lapide marmoris Graniti. Habet autem altitudinem palm. XXVII. cum dimidio; latitudo ejus continet palm. III. & dimidium.



b 11




OBELISCVS
BARBERINVS.



BELISCVS hic etiamnunc ostenditur fractus in frusta tria, in Palatii Barberinorum area. Et sunt, qui suspicantur, hic fuisse Circum Aureliani. Mera tamen haec est conjectura, quamvis Donatus eam repudiandam neget, dicatque, fieri potuisse, ut Circus hic ab Elagabalo sit constructus, sed ab Aureliano instauratus.

Creditur hic Obeliscus in AEgypto primum fuisse erectus a Rege Ramesse, aut patre illius Sethoso, unde Romam fuit avectus ab Antonino Caracalla, aut Aureliano, secundum alios, qui erigi eum jussit in suo Circo. Hodie vocatur *Obeliscus Barberinus*, quoniam Franciscus Barberinus Cardinalis a Campo Verano transferri eum curavit, ante Palatium suum, in Monte Quirinali, ubi jacet diffractus, plenusque notis Hieroglyphicis. Totus fuerat caesus ex uno & solido marmore Granito.

Extra theatrum Castrense fuisse Hortos, & Circum Elagabali, satis evidenter ostendit loci situs. Pyrrhus vero Ligorius scribit, sua aetate etiam magnificum sibi visum fuisse hunc Circum, in cujus medio erectus steterit Obeliscus hic, de quo loquimur. Sine dubio autem Circum hunc refecit, exornavitque Aurelianus, at nequaquam primus construxit, quidquid alii contra male sentiant, docente Borrichio, *Dissert. de Antiq. U. R. facie, cap.* 7.



h 12.

OBELISCVS
LVDOVISIANVS.

INter Montes Quirinalem, & Pincium, in anguſtiſſima, & poſtrema vallis parte, Collinam Portam verſus, veſtigia cernuntur Circi Antiqui, hoc noſtro quoque tempore, cujus muri & ſedilia conjuncta erant rupi Collis Quirinalis ab una, & Pincii ab altera parte. In medio vallis hujus jacuit antea Obeliſcus, Hieroglyphicis litteris inſculptus, ſed diffractus, qui nunc oſtenditur in Hortis Ludoviſiis. Credibile eſt, hunc Circum illum fuiſſe, in quo celebrabantur Ludi Apollinares, quum Circus Flaminius, inundatione fluminis, aqua jaceret repletus. Horum Ludorum aliquoties meminit Livius, praeſertim (*Lib.* XXX. *cap.* 38.) his verbis. *Ita abundavit Tiberis, ut Ludi Apollinares, Circo inundato, extra Portam Collinam, ad AEdem Erycinae Veneris ſint parati.*

Fuit hic Circus tempore Claudii extra muros; ſed Aurelianus, prolatis iiſdem, intra muros concluſit, quomodo adhuc muri Urbis cernuntur. Situs autem fuit eo in loco, quem Fulvius ex *Girlo*, voce barbara, *Girulum* vocat, quamvis corrupta videatur ex *Circulus.*

Et hic quidem, qui in Hortis Salluſtianis erectus fuerat Obeliſcus, idem eſt ille, qui confractus jacet in Hortis Ludoviſianis, inſcriptus notis, ſive litteris AEgyptiis, Lunaeque dicatus fuiſſe creditur. Non modico abeſt intervallo a cavea, ſed incertum, quam ob cauſſam eo ſit tranſlatus.

Itaque *Ludoviſianus* dicitur, ab Hortis Principis nominis hujus. Prius *Salluſtianus* appellabatur, ab Hortis Salluſtianis, ubi creditur ſtetiſſe erectus ab Imperatore Claudio, poſt Caligulae mortem, a quo aliqui exiſtimant, eum ex AEgypto Romam fuiſſe advectum, ubi Rex Sethos eum fieri, & poni juſſerat.

Plinius docet (*Lib.* XXXVI. *cap.* 9, 10, *&* 11.) ſimiliter, ab Auguſto duos Obeliſcos Romam advectos fuiſſe, tertiumque in Vaticano poſitum ſtetiſſe. *Sequentes eum* (inquit Ammianus *Lib.* XVII. *cap.* 4.) *Imperatores advexerunt plures, quorum alter eſt in Vaticano, alter in Hortis Salluſtii, duo in Auguſti monumento ſunt.* Erant ergo ſex, non quinque, quomodo & apud Victorem legitur. Duo enim alii ſteterunt in Circo Maximo. Major fuit pedum CXXXII. Minor pedum LXXXVII. & ſemis. Unus in Vaticano pedum LXXII. & unus item in Campo Martio pedum LXXII.

Hic noſter Ludoviſianus in tria fruſta fractus jacet, medio eorum ſupra humum eminente, reliquis duobus terra contectis.

Totus fuit caeſus ex marmore Granito.

I. 13



OBELISCVS

MEDICEVS.



Beliscvs, qui ſtat in Hortis Ducis Florentiae, in monte Pincio ſitis, ab eo quoque fuit denominatus. Huc autem tranſlatus eſt ex Circo Florae, ubi ſteterat erectus ab Imperatore Claudio. Ignoratur, quando, & a quo ex AEgypto Romam ſit advectus.

Factus eſt ex uno lapide marmoris Graniti, plenuſque litteris Hieroglyphicis. Subter eum poſitae ſunt quatuor teſtudines aereae, ſed deauratae. Hujus Obeliſci altitudo eſt palm. XXII. latitudo, prope baſin, palm. III. cum parte quarta.



OBELISCVS
MATTHEIVS.



BELISCVS hic ita dicitur, quia in hortis Ducum Mattheiorum positus est, & erectus in Monte Coelio, auctoritate & jussu Ducis Cyriaci Matthaei, uti ex Inscriptione liquet.


CYRIACVS. MATTHEIVS
OBELISCVM. HVNC. A. POPVLO
ROMANO. SIBI. DATVM. A
CAPITOLIO. IN. HORTOS
SVOS. COELIMONTANOS
TRANSTVLIT. VT. PVBLICÆ
ERGA. SE. BENEVOLENTIÆ
MONVMENTVM. EXSTARET
AN. M D LXXXII

Discimus hinc, Ducem Mattheium, permittente Populo Romano, & donante, hunc Obeliscum avexisse in suos Hortos Coelimontanos, e Capitolio, ubi dejectus jacuerat in Horto Ecclesiae, quae dicitur *Ara Coeli.*

In ejus parte superiore paucae tantum apparent notae Hieroglyphicae. Ferturque ex AEgypto etiam advectus fuisse, auctoremque operis sui habuisse Regem Ramessem.

Solidus & unicus hic est lapis marmoris Graniti. Altus est hic Obeliscus palm. XXXVI. latus prope basin palm. IV.

b. 25.



OBELISCVS
S. MARIAE MAIORIS.



Victor (*in Appendic. ad Regiones*) refert, ſtetiſſe ante Mauſoleum Auguſti Obeliſcos duos, magnitudinis ejuſdem. Fragmenta unius, quae in media jacebant via, Sixtus V. Pont. Max. juſſit avehi, & in priſtini Obeliſci formam reponi, atque erigi, ante hortos ſuos, quos habebat in Exquiliis, ante AEdem S. Mariae. Alter vero etiamnunc proſtratus jacet, & confractus, poſt AEdem S. Rochi, ubi prior fuerat inventus.

Obeliſcus hic caret omnibus notis Hieroglyphicis, erectuſque eſt, An. MDLXXXVII. Habet autem in vertice S. Crucis ſignum, una cum Inſignibus Pontificis, tribus nempe montibus & ſtella, ſtatque e regione Viae Felicis, ab hoc ipſo ſummo Pontifice apertae, ac ſtratae.

Inſcriptiones habet a quatuor lateribus baſis has ſequentes.

CHRISTVS.
PER. INVICTAM.
CRVCEM.
POPVLO. PACEM.
PRÆBVIT.
QVI.
AVGVSTI. PACE.
IN. PRÆSEPE. NASCI.
VOLVIT.

CHRISTI. DEI.
IN. ÆTERNVM. VIVENTIS.
CVNABVLA.
LÆTISSIME. COLO.
QVI. MORTVI.
SEPVLCRO. AVGVSTI.
TRISTIS.
SERVIEBAM.

CHRISTVM. DOMINVM.
QVEM. AVGVSTVS.
DE. VIRGINE.
NASCITVRVM.
VIVENS ADORAVIT.
SEQVE. DEINCEPS.
DOMINVM.
DICI. VETVIT.
ADORO.

SIXTVS. V. PONT. MAX.
OBELISCVM.
ÆGYPTO. ADVECTVM.
AVGVSTO.
IN. EIVS. MAVSOLEO.
DICATVM.
EVERSVM. DEINDE. ET.
IN. PLVRES. CONFRACTVM.
PARTES.
IN. VIA. AD. SANCTVM.
ROCHVM. IACENTEM.
IN. PRISTINAM. FACIEM.
RESTITVTVM.
SALVTIFERÆ. CRVCI.
FELICIVS.
HIC. ERIGI. IVSSIT.
AN. M D LXXXVII. PONT. III.

Et hic quidem idem *Obeliscus* est, quem in acclivitate Montis Exquilini, prope Basilicam Liberianam S. Mariae Majoris, erexerunt versus Septemtriones, post erectum jam Obeliscum, in area Vaticana, jussu Sixti V.

Vocatur autem *Exquilinus*, a monte in quo positus fuit. Dicitur etiam *Claudianus*, ab Imperatore Claudio, qui existimatur eum Romam advexisse, & posuisse in Mausoleo Augusti, An. post Chr. Nat. LXII. in Valle Martia; ubi hoc Augusti monumentum magnificentissime fuerat exstructum.

Hic unus esse fertur ex duobus Obeliscis, a Smarre & Efre AEgypti Regibus factis, jacuitque in tria frusta confractus, ab eo tempore, quo Urbs a Gothis est vastata. Habuit sine fulcris a basi usque ad verticem, absque ornamentis illi additis longitudinem palmorum LXVI. Cum omnibus ornamentis longus conspicitur, palmos Rom. centum & undecim ac semis. Caret vero notis AEgyptiacis: quia Rex, auctor illius, aut morte occupatus, aut aliam quamvis ob caussam impeditus fuit. Potuerunt etiam nulli fuisse Hieroglyptae eo seculo. Erexit illum Fontana, Architectus celeberrimus. Fuit in initio unicus & integer lapis, marmoris Graniti.

OBE-

b 10



OBELISCVS

P O P V L I.





OBELISCVS hic fuit Augusti Caesaris primus, positusque ab eo in Circo Maximo, ut liquet ex hac Inscriptione, legenda in duplici fronte veteris Basis illius, unde & discimus Soli fuisse consecratum.

IMP. CAESAR. DIVI. FIL. AVG
PONTIFEX. MAXIMVS
IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV
AEGYPTO. IN. POTESTATEM
POPVLI
ROMANI. REDACT

SOLI. DONVM. DEDIT

De hoc Obelisco loquitur Plinius (*Lib.* XXXVI. *cap.* 9.) *Is autem Obeliscus, quem Divus Augustus in Circo Magno statuit, excisus est a Rege Semneserteo, quo regnante Pythagoras in AEgypto fuit, centum viginti quinque pedum est, & dodrantis, praeter basin ejus lapidis.* Et Ammianus item Marcellinus (*Lib.* XVII. *cap.* 3.) *Augustus item Obeliscos duos ab Hieropolitana civitate transtulit AEgyptia, quorum unus in Circo Maximo, alter in Campo locatus est Martio.* Soli dicatum fuisse, docet etiam Tertullianus (*de Spectaculis cap. de loco*) *Circus Soli principaliter consecratur: cujus aedis medio spatio, & effigies de fastigio aedis emicat, quod non putaverunt sub tecto consecrandum, quem in aperto habent.*

Sixtus autem V. Pontifex Max. collocavit eum ante Portam Flaminiam, prope Templum S. Mariae Populi, in nobilissimo trivio, cujus via prima extenditur circa ortum Solis sub colle Pincio, altera Flaminia nomine, & ultima Leonina, a Leone X. prope fluvium Tiberim aperta, & strata.

In vacuis basis illius antiquae frontibus has duas Inscriptiones addidit dictus Pontifex Maximus.

ANTE. SACRAM.
ILLIVS. ÆDEM.
AVGVSTIOR.
LÆTIORQVE. SVRGO.
CVIVS. EX. VTERO.
VIRGINALI.
AVG. IMPERANTE.
SOL. IVSTITIÆ.
EXORTVS. EST.

SIXTVS. V. PONT. MAX.
OBELISCVM. HVNC.
A. CÆSARE. AVG. SOLI.
IN. CIRCO. MAXIMO. RITV.
DICATVM. IMPIO.
MISERANDA. RVINA.
FRACTVM. OBRVTVMQVE.
ERVI. TRANSFERRI.
FORMÆ. SVÆ. REDDI.
CRVCIQVE. INVICTISSIMÆ.
DEDICARI. IVSSIT.
A. M. D. LXXXIX. PONT. IV.

Eques Fontana scribit, a semet ipso fuisse eum e Circo Maximo translatum, ubi diffractus jacuit in tria frusta, erexitque illum cura sua, quo in loco nunc conspicitur. Plenus est litteris Hieroglyphicis,

exci-

excisusque ex uno marmoris Graniti lapide. Altus fuit, priusquam a Fontana erigeretur, palm. CX. qui & tres palmos inferiores, injuria temporis corrosos, ei ademit, ita ut hodie altitudinem habeat palm. CVII. Quae latissimae ejus partes sunt, prope basin, latae sunt palm. X. cum dimidio; prope pyramidium vero palm. VI. cum binis tertiis. Minores partes, prope basin, latitudinem habent palm. IX. cum dimidio; prope pyramidium palm. V. cum tribus quartis.



OBELISCVS
S. MARIAE SVPRA MINERVAM.



Q Uum Patres Ordinis S. Dominici, quibus cessit Templum Deae Minervae, in suis Hortis murum forte quendam struere statuissent, in fundamentis egerendis, repererunt Obeliscum, terra obrutum, jacere ad profunditatem quindecim fere palmorum. Hunc Alexander VII. Pont. Max., omnis eruditionis amator summus, jussit collocari, in Foro ante Templum S. Mariae supra Minervam. Praefecit autem operi huic Berninum Equitem, qui varias machinas & bases excogitavit, supra quas Obeliscus erectus altius consisteret, & augustior appareret. Elegit vero eam, qua exprimitur Elephantus, dorso Obeliscum sustinens. Addidit & binas Inscriptiones ea in basis parte, quae Templum respicit.

SAPIENTIS. ÆGYPTI.
INSCVLPTAS. OBELISCO. FIGVRAS.
AB. ELEPHANTO. BELLVARVM. FORTISSIMA.
GESTARI. QVISQVIS. HIC. VIDES.
DOCVMENTVM. INTELLIGE.
ROBVSTÆ. MENTIS. ESSE.
SOLIDAM. SAPIENTIAM. SVSTINERE.

In ejusdem basis latere adverso.


VETEREM. OBELISCVM.
PALLADIS. ÆGYPTIÆ. MONVMENTVM.
E. TELLVRE. ERVTVM.
ET. IN. MINERVÆ. OLIM.
NVNC. DEIPARÆ. GENITRICIS.
FORO. ERECTVM.
DIVINÆ. SAPIENTIÆ. ALEXANDER. VII.
DEDICAVIT. ANNO. SALVTIS.
M. DC. LXVII.

Obeliscus hic inventus fuit, in ruinis Templi Isidis, caesus ex uno & solido marmore Granito, plenusque figuris Hieroglyphicis. Interpretandi vero hujus Obelisci provinciam dederat hic Pont. Max. Athanasio Kirchero, cujus Doctissimi Viri commentationes in eum leguntur in Volumine Romae impresso A. *1666*.

Ex minorum Obeliscorum unus est, quorum P. Victor testatur quadraginta quatuor Romam advectos fuisse, partim Imperatorum Romanorum studio elegantiae monumentorum, partim ut gloriam magnitudinis & splendoris Urbis Romanae redderent aeternam. Lapis AEgyptius, unde factus est, dicitur vulgo *Granito rosso*, qui teste Plinio, cui *Syenites* dicitur (*Lib.* XXXVI. *cap.* 8.) reperitur in unica AEgypti Provincia Thebana, & nusquam alibi terrarum.

Altus est palm. XXIV. inferior basis III. palm. cum una sext. superior latitudo II. palm. cum tribus quartis.

p. 18



OBELISCVS VATICANVS.





BELISCVS hic, juſſu Imperatoris Caligulae ſingulari, ex AEgypto primum fuit advectus. Docet id Plinius (*Lib.* XVI. *cap.* 40.) ubi navem, qua tranſlatus eſt, deſcribit. *Abies*, inquit, *admirationis praecipuae, in navi, quae ex AEgypto, Caji Principis juſſu, Obeliſcum in Vaticano ſtatutum, quatuorque truncos lapidis ejuſdem ad ſuſtinendum eum adduxit. Qua nave nihil admirabilius viſum in mari certum eſt. Centum viginti millia modiorum lentis pro ſaburra ei fuere, longitudo ſpatium obtinuit magna ex parte Oſtienſis portus latere laevo: ibi namque demerſa eſt a Claudio Principe, cum tribus molibus, turrium altitudine in ea exaedificatis, ob id Puteolano pulvere advecto.* Tradit id ipſum Suetonius (*Claud. cap.* XX.) *Portum Oſtiae exſtruxit, circumducto dextra ſiniſtraque brachio, & ad introitum profundo jam ſalo mole objecta, quam quo ſtabilius fundaret, navem ante demerſit, qua magnus obeliſcus ex AEgypto fuerat advectus, congeſtiſque pilis ſuperpoſuit altiſſimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes curſum navigia dirigerent.* Idem Plinius ſcribit, hunc unum ex omnibus in erectione fractum fuiſſe (*Lib.* XXXVI. *cap.* 2.) *Tertius Obeliſcus Romae, in Vaticano Caji & Neronis Principum Circo, ex omnibus unus omnino fractus eſt in molimine; quem fecerat Seſoſtridis filius Nuncoreus.*

Caligula hunc Obeliſcum dicaverat Imperatoribus Auguſto & Tiberio, prout ex illius vetere conſtat Inſcriptione, in duobus Obeliſci lateribus prope Baſin ſculpta.

DIVO. CAES. DIVI
IVLII. F. AVGVSTO
TI. CAES. DIVI. AVG
F. AVGVS. SACRVM

Solus de omnibus Obeliſcis permanſit erectus in loco, qui proximus eſt Sacrario Baſilicae S. Petri, ubi olim fuerat Circus Principum Caji & Neronis, donec Sixtus V. Pont. Max. vir animi praegrandis, transferri illum curaret in aream, ante Baſilicam eandem. Quod autem difficultatibus maximis rem hanc intricatiſſimam videret Pontifex, concilium inſtituit Cardinalium & Summatum, in diem XXIV. Auguſti, Anni MDLXXXV. ut decernerent rationem & modum, transferendo & rurſus erigendo Obeliſco accommodatum. His Conſultoribus placuit, ut omnes litteris imbuti, Matheſeos periti, Architecti, Ingeniarii, & caeteri viri, ſcientia, vel rerum uſu pollentes, Romam advocarentur, quorum, ſpatio trium hebdomadum, fuere quingenti, ſed ſententiis diſcrepantes, qui ſe obtulerunt: unius tamen Dominici Fontanae ſententiam eſſe anteferendam, omnium ſuffragiis judicatum eſt. Conſtruxerat autem modulum ſuae inventionis e ligno, Obeliſcumque e plumbo conflatum, praeſentibus omnibus congregationis membris, ſublevavit, ſingularum motionum rationes & fundamenta demonſtrans.

Ipſe Pontifex ad hoc opus Fontanam, ut eſt apud Athanaſium Kircherum (*in OEdipi tom.* III. *pag.* 371.) exſtimularat, his argumentis uſus. Quod antea Reges AEgyptii & Romanorum Imperatores efficere potuerunt, nequaquam noſtris temporibus, non minus illuſtrium ingeniorum feracibus, negatum videtur. Verumtamen ſi quiſpiam praetenderit, ſumptuum nimis praegrandem ſummam, is non ſibi perſuadeat velim, tanta nos aeris penuria laborare, ut ea ab hujuſmodi coeptis animum noſtrum abducat, quin potius exacuat, ad praeſtanda, non dicam ſimilia, ſed majora quoque, dummodo noſtrorum ſtudio & diligentia non deſtituamur. Agedum, Dominice Fontana, cujus ingenium jam antehac in multis innotuit

nobis, ſerio huic negotio incumbere, ne deſiſtas; neque curae tibi ſit ſumptuum magnitudo: ſi unus millio non ſufficiat aureorum, addantur duo, aut quot eorum opus fuerint; ſi modo, quod imperamus, exſecutioni mandetur.

Nec eſt, quod quiſquam exiſtimet, coeptum hoc minimi momenti eſſe, & indignum tantis curis; ſiquidem non AEgyptii modo Obeliſcorum erectiones maximi ſemper fecerunt: ſed & Diodorus Siculus teſtatur, apud Aſſyrios Semiramidem exciſionem & erectionem Obeliſcorum primum inſtituiſſe. Verba Diodori hæc ſunt. (*Lib.* II. *cap.* 11.) *Semiramis etiam ſaxum e montibus Armeniis excidit* 135 *pedes longum*, 25 *latum & ſpiſſum. Hoc multis aſinorum boumque jugis ad amnem deportatum rati impoſuit, & ſecundo flumine Babylonem devectum, juxta viam nobiliſſimam, admirandum praetereuntibus ſpectaculum, erexit. Obeliſcum a figura vocant.*

Ne autem Architecto deeſſent res & materia, ei operi neceſſariae, diplomate Pontifex eum munivit ampliſſimo, ut negotium tanto facilius & promptius expediretur. Hujus auctoritate permittebatur illi, quibuſvis rebus utilibus, quocunque in loco inventis, uti, etiam dominis invitis, ſoluto tamen pretio, ſecundum peritorum utriuſque partis arbitrorum judicium. Sed & poteſtatem Architecto dedit, ſi id exigeret neceſſitas, domos Obeliſco vicinas diruendi, poſtquam de reſarciendo cum poſſeſſoribus, vel quorum intererat, damno convenerit. Quoque majore in honore eſſet apud populum, juſſit, ut Fontana cum ſuis publice incederent armati.

Hic Architectus conſultiſſimum ſibi fore exiſtimavit, ut cognoſceret exactiſſimum Obeliſci pondus. Huic igitur fini palmum quadratum, cubi in modum efformatum, conſimili e ſaxo, maxima confici curavit diligentia, ejuſque cubi pondus invenit octoginta ſex librarum. Hunc in modum calculum iniit palmorum totius Obeliſci, qui attingebant ſummam palmorum cubicorum $11203\frac{89}{96}$, quo modo invenit exactiſſimum pondus ipſius Obeliſci eſſe librarum $963537\frac{35}{48}$.

Pondere Obeliſci cognito, ad ejus rationem machinas ſuas fieri curavit. Conſtruxit autem turrim, ſeu caſtellum, altitudine palmorum CXXIII., hoc eſt, x. palmis ipſo Obeliſco altius, ut adminiculo XL. ergatarum, rudentes attrahentium, & ab hominibus & equis circumvolutarum, Obeliſcus in aëra ſublimis levaretur.

Fama operis tam memorandi excitavit turbam ſpectatorum prope infinitam, non ex Italia tantum, ſed ex ei vicinis quoque regionibus. Ut igitur confuſioni, quae ex tam ingenti populi frequentia oriri poſſe videbatur, mederetur Pontifex, ſeveriſſimum promulgavit Edictum; ne alius quis, die erectioni Obeliſci praeſtituta, cancellos ingrederetur, exceptis operariis; poenamque capitis in cancellorum violatores conſtituit. Poenas etiam minime contemnendas ſanxit in eos, qui vociferarentur, ſcrearent, ſtrepitumve quovis modo excitarent; idque ne praedictis modis impedirentur, minuſque intelligerentur mandata Architecti. Ut autem Edicti parata eſſet exſecutio, Lictor (*Barigello* vocant) cum univerſa apparitorum turba circum intravit; & prope crucem erectam praeſto aderat etiam carnifex. Itaque rei novitas, metuſque poenarum effecit, ut, omnium oculis operi intentis, maximum in tanto populi concurſu obſervaretur ſilentium.

Acceſſit ad haſce duriſſimas leges, ſine ullius excuſatione, ab omnibus ſervandas, ut Pontifex, cum abeuntem Fontanam fauſta precatione proſequeretur, eidem diceret: *Videret, qualia adgrederetur, ut qui erroris culpam ſanguine ſuo eſſet luiturus.* Verebatur enim Pontifex, ut, fracto per negligentiam Obeliſco, ſua apud Populum auctoritas vileſceret, ſibique vitio verteretur, quod tantae molis opus credidiſſet homini, horum coeptorum inexperto. Et meritus grave ſupplicium fuerat, qui ſpretis aliis omnibus, & forte peritioribus, auſu temerario, ſibi uni exſecutionem tam difficilis rei expetiverat. Nihilominus animum Pontificis ſuſpenſum & ſollicitum reddebant benevolentia in Fontanam, & ſua ipſius efferveſcens ira. Juſſerat enim, ut, in quatuor Burgi portis, ad fugam inſtructi tenerentur equi, ne Fontanae praecideretur parata ad effugiendum occaſio, ſi forte fortuitus caſus infelicis eventus contingeret.

Auferri deinde Fontana juſſit globum aeneum, & deauratum, Obeliſco ſuperimpoſitum, quem diligentiſſime conſideratum reperit, abſque commiſſura quacunque fuiſſe fuſum, ita ut in eum cineres Auguſti recondi nullatenus potuerint, contra quam a multis fuerat creditum. Illud tamen non negat, fuiſſe eum a militibus ſcloporum globulis, in locis quibuſdam, perforatum, eidemque exinde inſediſſe nonnihil pulveris, vi ventorum per foramina illa immiſſi.

Totus dehinc Obeliſcus ſtoreis duplicibus, ne cicatricibus deformaretur, fuit tectus, tabuliſque ligneis poſtea imponebantur virgae, ſeu perticae ferreae, & praeterea multiplices funium contortorum & craſſiſſimorum involutiones, ſi forte ferrum, quod accidit, in molitione rumperetur; funes quippe cir-

circulis ferreis multo esse tutiores, jam a principio existimaverat Architectus. Ita autem armatus Obeliscus judicabatur habere pondus librarum 1043537.

Omnibus jam paratis, imploratoque Divino auxilio, die XXX. Aprilis, MDLXXXVI. quotquot adesse tanto conatui tenebantur, simul opus ipsum adgrediebantur, qui admonebantur clangore tubae; quoties vero jubebantur se continere, & sistere, audiebatur sonus campanae, quam in castelli summitate collocaverat Architectus.

Hac diligentia & cautela factum fuit, ut intra breve temporis spatium Obeliscus erigeretur, ad altitudinem palmorum duorum & quartarum trium a sua basi: atque in signum laetitiae explosa tunc fuerunt tormenta. Denique Obeliscus substratae sibi trahae, cylindris volubilibus impositae, magna cura & providentia Architecti incubuit.

Postea, circum stylobatam terra excavata, usque ad altitudinem XL. palmorum a summitate soli tectum hunc jacuisse, fuit inventum: constabat autem ex pluribus lapidibus maximis. Hic duo praecipue admirabatur Architectus. Primo, fundamentum inferius superiori fuisse arctius: attamen ad Obeliscum suo loco rursus erigendum videbat, necesse sibi esse, ut rursus fragmenta horum lapidum eodem, quo Veteres, modo disponeret, quod nimirum saxa tantae molis Romae non exstarent. Deinde, quod infimi fundamenti lapidum frusta, quae ansis ferreis, plumbo tectis, inter se erant conjuncta, quamvis aquis fuerant immersa, ansae nihilominus a rubigine, aliove corruptionis modo, essent illaesae.

Obeliscus trahae impositus, super aggerem ligneum, firmissimumque protractus fuit, in aream usque ante Basilicam D. Petri, ubi hoc eodem castello, seu turri lignea, qua usus fuerat Architectus, in Obelisco trahae imponendo, fuit iterum erectus, & stylobatae superpositus, die X. Septemb. MDLXXXVI. Denique summum Obelisci apicem exornarunt signo S. Crucis, cui eum Pontifex consecrarat, quod collocabatur supra stellam, & tres montes, gentilitium Pontificis insigne.

Fontana censet, Veteres, in Obeliscis erigendis, plus & laboris & sumptuum impendisse, atque Obeliscum huncdiu, ante primam ejus erectionem, neglectum jacuisse: pes enim diuturnitate temporis videtur corrosus, quum iis in lateribus, quæ terram versus conversa fuere, politissimus sit, tamquam si nuper elaboratus fuisset, quod & hodie apparet. Ait praeterea, vera tradidisse Plinium affirmantem, eum in ipsa erectione fuisse fractum; quia apex illius non eadem, ut in aliis, factus sit proportione, debuisfetque attingere altitudinem palmorum XII., quum vix VI. palmorum sit. Facilis itaque conjectura est; Veteres, postquam diruptus esset Obeliscus, Pyramidion majus efficere noluisse, ne saxi totius magnitudini decederet aliquid. Deinde apex hic non eodem modo cernitur elaboratus, uti reliquus Obeliscus, sed potius opus esse hominis rustici, eo quod minime sit politus. Et tandem Obeliscus idem, si proportionem consideres, minor est aliis Obeliscis, ut videre licet, in D. Augusti, nunc penes S. Mariam Populi Obelisco erecto; nec non in Constantis, qui hodie S. Johannis Lateranensis ornat aream in Circo Maximo repertis; ut & in Obelisco Hortorum Sallustii; & minore illo ad S. Mahutum: horum enim apices singuli unius & dimidii sunt capitis. Quod vero ad longitudinem horum Obeliscorum attinet, alii novem & dimidii, nonnulli decem capitum altitudinem habent, usque ad Pyramidii basin; noster vero, ne quidem novem capitum attingit altitudinem. Scribit Fontana, se in Obelisci translatione & erectione usum esse hominibus nongentis & septem, & equis centum & quadraginta.

Finita erectione Obelisci, suorum operariorum humeris sublatus Fontana gerebatur, circum cancellos omnes, domumque suam est deductus, quo confluxerant tubicines tympanistaeque Urbis omnes, magno tympanorum tubarumque strepitu, ingenti cum applausu, ejus honori accinentes. Etiam hoc silentio praetereundum non est; Pontificem voluisse, ut die hoc, quo in Area Basilicae Divi Petri erigeretur Obeliscus, Orator, Regis Galliae nomine obedientiam Pontifici oblaturus, per Portam Angelicam Burgi, ingrederetur Urbem, aeramque praeteriret, ubi constitit, dum bini tractus peragerentur.

In summo Obelisci culmine Inscriptionem hanc poni jussit Pontifex.

SANCTISSIMAE. CRVCI.
SIXTVS. V. PONT. MAX.
CONSECRAVIT.
E. PRIORE. SEDE. AVVLSVM.
ET. CAESS. AVG. AC. TIB.
I. L. ABLATVM. M. D. LXXXVI.

OBELISCVS VATICANVS.

In quatuor Basis lateribus.

SIXTVS. V. PONT. MAX.
OBELISCVM. VATICANVM. DIIS. GENTIVM.
IMPIO. CVLTV. DICATVM.
AD. APOSTOLORVM. LIMINA.
OPEROSO. LABORE. TRANSTVLIT.
AN. M. D. LXXXVI. PONT. II.

SIXTVS. V. PONT. MAX.
CRVCI. INVICTAE.
OBELISCVM. VATICANVM.
AB. IMPVRA. SVPERSTITIONE.
EXPIATVM. IVSTIVS.
ET. FELICIVS. CONSECRAVIT.
AN. M.D. LXXXVI. PONT. II.

ECCE. CRVX. DOMINI.
FVGITE. PARTES.
ADVERSAE.
VINCIT. LEO.
DE. TRIBV. IVDA.

CHRISTVS. VINCIT.
CHRISTVS. REGNAT.
CHRISTVS. IMPERAT.
CHRISTVS. AB. OMNI. MALO.
PLEBEM. SVAM. DEFENDAT

In parte inferiore Basis.

DOMINICVS. FONTANA. EX. PAGO. MILIAGRI.
NOVOCOMENSIS. TRANSTVLIT. ET. EREXIT.

Obeliſcus hic altus eſt palm. CXIII. cum dimidio. Prope Baſin vero, verſus Orientem & Auſtrum, latus eſt palm. XII. verſus Septemtriones palm. XIII. at verſus Occidentem palm. XIII. cum dimidio, Quatuor autem latera ejuſdem propemodum ſunt latitudinis palm. VIII. Denique Obeliſcus hic, una cum Baſi & ornamentis, a fundo ſoli, ad ſummum apicem, altus eſt palm. CLXXVIII. cum dimidio.



b 10.



OBELISCVS
PAMPHILIVS.



FOrum in Urbe ſatis celebre habetur a Latinis *Agonale* dictum, eſtque eo in loco, ubi olim fuit Circus, juxta Nardini ſententiam. *Agonale* autem dici a *Ludis Agonalibus*, non eſt dubium. Et hos quidem Ludos Menſe Januario celebrari, Ovidius quoque ſcribit (*Faſt.* I. ỳ. 318.) Ejus nominis non una redditur ratio, quarum nullam certiſſimam eſſe, monet Donatus. Laelius Biſciola (*Lib.* II. *cap.* 2. *Hor. ſubciſ.*) Ovidii teſtimonium ſecutus, hanc probat: quod in ſacrificando Victimarius, Regem Sacrorum ſoleret percunctari, ſtricto jam gladio incumbens in cervicem beſtiae. *Agon'?* id eſt, *mactone?* Et hic quidem ritus feſto diei nomen dedit. De eo ſic loquitur Ovidius, *loco citato.*

Nominis eſſe potes ſuccinctus cauſſa miniſter,
Hoſtia caelitibus quo feriente cadit.
Qui calido ſtrictos tincturus ſanguine cultros,
Semper (Agone?) rogas; nec niſi juſſus agis.

Idem auctor etiam alias rationes adfert; quia nimirum victimae cum *Agone*, hoc eſt, labore & vi, trahebantur. Si aliis credimus, *Agonalia*, quaſi *agnalia*, ab *agnis*, qui mactabantur; aut etiam a Graeca voce *Agonios* dicebantur. Feſtus: *Agonium ob hoc Ludum dixere, quia locus, in quo ludi primo ſunt facti, fuerit ſine angulo, cujus Feſta Agonalia dicebantur.* Meliorem tamen nominis Etymologiam alibi adfert: *Agonium putabant Deum, praeſidentem rebus agendis; Agonalia ejus feſtivitatem.* Apud Macrobium (*Lib.* I. *Saturn. cap.* 4. *med.*) *Antias Agonalium Ludorum repertorem Numam Pompilium refert*, qui deinde ſingulis annis celebrabantur in Circo Agonali. Hunc Circum inſtauravit certe, ſi non primus exſtruxit Alexander Imperator, qui vixit circa An. ccxxx. & ejus etiam Nummi talem Circum exprimunt.

Anno MDCLI quum Innocentius X. Eccleſiae praeeſſet, ſecutus veſtigia glorioſa Praedeceſſoris ſui Sixti V. mandavit Laurentio Bernino Equiti, fratrique ejus Ludovico Bernino, ut Obeliſcum hunc e Circo Caracallae, ſummo labore erutum, in conſtitutum locum transferrent, cujus partes plures miro artificio conjunctas, ab Athanaſii Kircheri opera & eruditione adjutus, Eques Berninus ſuo ſplendori reſtituit.

Et hic quidem ille Obeliſcus eſt, quem, ut diximus, ex Circo Caracallae tranſlatum Papa Innocentius X. in Foro Navonio ſplendidiſſimo fonte exornavit, ut celeberrimus in Urbe locus haberet cum ornamento utilitatem.

Inſcriptiones in ejus baſi legendae hujus ſunt exempli.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX.
NILOTICIS. ÆNIGMATIBVS. EXARATVM. LAPIDEM.
AMNIBVS. SVPER. LABENTIBVS. IMPOSVIT.
VT. SALVBREM.
SPATIANTIBVS. AMOENITATEM.
SITIENTIBVS. POTVM.
MEDITANTIBVS. ESCAM.
MAGNIFICE. LARGIRETVR.

NOXIA. ÆGYPTIORVM. MONSTRA.
INNOCENS. PREMIT. COLVMBA.
QVÆ. PACIS. OLEAM. GESTANS.
ET. VIRTVTVM. LILIIS. REDIMITA.
OBELISCVM. PRO. TROPHÆO. SIBI. STATVENS.
ROMÆ. TRIVMPHAT.

OBELISCVM.
AB. IMP. ANT. CARACALLA. ROMAM. ADVECTVM.
CVM. INTER. CIRCI. CASTRENSIS. RVDERA.
CONFRACTVS. DIV. IACVISSET.
INNOCENTIVS. X. PONT. OPT. MAX.
AD. FONTIS. FORIQVE. ORNAMENTVM.
TRANSTVLIT. INSTAVRAVIT. EREXIT.
ANNO. SAL. M. DC. LI. PONTIF. VII.

INNOCENTIVS. X. PONT. MAX.
NATALI. DOMO. PAMPHILIA.
OPERE. CVLTVQVE. AMPLIFICATA.
LIBERATAQVE. INOPPORTVNIS. ÆDIFICIIS.
AGONALI. AREA.
FORVM. VRBIS. CELEBERRIMVM.
MVLTIPLICI. MAIESTATIS. INCREMENTO.
NOBILITAVIT.


Totus eſt ex marmore Granito, fruſtis collectis & conjunctis, litteriſque Hieroglyphicis, ab Athanaſio Kirchero in ordinem digeſtis. Hic Obeliſcus altus eſt palm. LXXX. Nos eum iconibus duabus expreſſimus.

OBE-


p. 20



b 21



OBELISCVS
S. IOANNIS LATERANENSIS.





OBeliscvs hic, altiſſimus omnium, fuit quondam erectus a Conſtantio Auguſto, in Circo Maximo, advectus Romam ex AEgypto, ut Ammianus teſtatur (*Lib.* XVII. *cap.* 4.) *per Oſtienſem portam Piſcinamque publicam Circo illatus eſt Maximo.*

Dicitur, advectus fuiſſe ex urbe AEgyptia Heliopoli, & idem eſſe Obeliſcus, quem *Rameſſes* AEgypti Rex (qui ab Euſebio vocatur *Ramiſes*, a Joſepho *Ramphates*, ab Herodoto *Rampſinitus*) collocarat Thebis in Solis Templo, ubique notatum ſacris AEgyptiorum litteris. Cambyſes, ejus ſervandi cauſſa, incendium reſtingui juſſit, quibus Thebae AEgyptiae conflagrarunt. Auctor Plinius (*Lib.* XXXVI. *cap.* 9.) *Opus id feciſſe dicuntur* xx. M. *hominum. Ipſe Rex, cum ſubrecturus eſſet, vereretur que ne machinae ponderi non ſufficerent, quo majus periculum curae artificum denuntiaret, filium ſuum adalligavit cacumini, ut ſalus ejus apud molientes prodeſſet lapidi. Hac admiratione operis effectum eſt, ut cum oppidum id expugnaret Cambyſes Rex, ventumque eſſet incendio ad crepidinem Obeliſci, exſtingui ignem juberet, molis reverentia, qui urbis* (Thebarum) *nullam habuerat.*

Conſtantinus Magnus Alexandriam deferri eum curaverat, novam Romam ſuam ornaturus. Conſtantius vero, Patre defuncto, eum avexit Romam, erigique juſſit in Circo Maximo.

Inſcriptiones ſequentes carminibus fuerant concinnatae, ſed quia lapideis fragmentis ablatis multae voces deſiderabantur, has Viri Litterati & ingenio praeſtantes, Joannes Hieronymus Catena, a ſecretis Epiſtolis Illuſtriſſimi Cardinalis Alexandrini, & Michaël Mercatus Phyſicus, Viridarii Summi Pontificis Praefectus, in hanc ſententiam eas emendarunt, & reſtituerunt, litteriſque majuſculis baſi veteri incidi curarunt.

PATRIS. OPVS. MVNVSQ. *ſuum.* TIBI. ROMA. DICAVIT
AVGVSTVS. *toto.* *Cōnſtan* TIVS. ORBE. RECEPTO
ET. QVOD. NVLLA. TVLIT. TELLVS. NEC. VIDERAT. AETAS
CONDIDIT. VT. CLARIS. EX*Aequ*ET. DONA. TRIVMFIS
HOC. DECVS. ORNATVM. GENITOR. COGNOMINIS. VRBIS
ESSE. VOLENS. CAESA. THEBIS. DE. RVPE. REVELLIT

SED. GRAVIOR. DIVVM. TANGEBAT. CVRA. VEHENDI
QVOD. NVLLO. INGENIO. NISVQVE. MANVQVE. MOVERI
CAVCASEAM. MOLEM. DISCVRRENS. FAMA. MONEBAT
AT. DOMINVS. MVNDI. CONSTANTIVS. OMNIA. FRETVS
CEDERE. VIRTVTI. TERRIS. INCEDERE. IVSSIT
HAVT. PARTEM. EXIGVAM. MONTIS. PONTOQ. TVMENTI

CREDIDIT. ET. PLACIDO. *vexerunt. aequora. flu* CTV
LITVS. AD. HESPERIVM. *Tiberi.* MIRANTE. CARINAM
INTEREA. ROMAM. TA*po*RO. VASTANTE. TYRANNO
AVGVSTI. IAÇVIT. DONVM. STVDIVMQVE. LOCANDI
NON. FASTV. SPRETI. SED. QVOD. NON. CREDERET. VLLVS
TANTAE. MOLIS. OPVS. SVPERAS. CONSVRGERE. IN. AVRAS

NVNC. VELVTI. RVRSVS. RV*fis*. AVVLSA. METALLIS
EMICVIT. PVLSATQ. POLOS. HAEC. GLORIA. DVDVM
AVCTORI. SERVATA. SVO. CV*m* CAEDE. TYRANNI
REDDITVR. ATQVE. ADITV. RO*mae*. VIRTVTE. REPERTO
VICTOR. OVANS. VRBIQ*ue*. *locat.* *ſublime*. TROPAEVM
PRINCIPIS. ET. MVNVS. CONDI*gnis*. *uſ*QVE. TRIVMFIS

Auctorem horum verſuum ignoraſſe hiſtoriam eorum temporum docet Bargaeus (*in ſua Epiſtola de Urbis everſoribus*) Vult enim, Obeliſcum hunc, Conſtantini patris juſſu, e rupe Syene caeſum & revulſum; id quod falſum eſſe, plenumque erroris oſtendit Ammianus Marcellinus (*Libro & Capite citato*) *Et quia ſufflantes adulatores ex more Conſtantium id ſine modo ſtrepebant, quod cum Octavianus Auguſtus Obeliſcos duos ab Heliopolitana civitate tranſtuliſſet AEgyptia, quorum unus in Circo Maximo, alter in Campo locatus eſt Martio; hunc recens advectum difficultate magnitudinis territus, nec contrectare auſus eſt, nec movere, diſcant qui ignorant, veterem Principem* (Auguſtum intelligit) *tranſlatis aliquibus, hunc intactum*

ideo praeteriisse, quod Deo Soli speciali munere dedicatus, fixusque intra ambitiosi templi delubra, quae contingi non poterant, tamquam apex omnium eminebat. Verum Constantinus id parvi ducens, avulsam hanc molem sedibus suis, nihilque committere in religionem recte existimans, si ablatum uno templo miraculum Romae sacraret, id est, in templo Mundi totius, jacere diu perpessus est, dum translationi pararentur utilia. In sequentibus capitis hujus ab eodem Auctore accurate describitur erectio Obelisci, Constantii Imperatoris jussu peracta. *Sola post haec restabat erectio, quae vix aut ne vix quidem sperabatur posse compleri: erectisque usque periculum altis trabibus, ut machinarum cerneres nemus, innectuntur vasti funes & longi, ad speciem multiplicium liciorum, coelum densitate nimia subtexentes: quibus colligatus mons ipse effigiatus scriptilibus elementis, paulatimque id per arduum inane protentus, diu pensilis, hominum millibus multis tamquam molendinarias rotantibus metas, cavea locatur in media.*

Hic Obeliscus, vastationibus Gothorum eversus, inventus est, in tria frusta diffractus, & alte sepultus ad palmos XXIV. in solo paludinoso, in ruinis Circi Maximi, An. Christi MDLXXXVII. Transferebatur illinc, jubente Sixto V. Pont. Max. ante Basilicam Lateranensem, ubi tria frusta illius, mira arte conjuncta, erigebantur, supra basin excelsam & novam, opera Dominici Fontanae, & imponebantur ei tres Montes cum Stella, insignia Sixti V. & in summo cacumine conspicitur signum sanctissimae Crucis, cui hic Obeliscus fuit consecratus. In basi nova leguntur sequentia.

CONSTANTINVS.
PER. CRVCEM.
VICTOR.
A. S. SILVESTRO.
HIC. BAPTIZATVS.
CRVCIS. GLORIAM.
PROPAGAVIT.

FL. CONSTANTINVS.
MAXIMVS. AVG.
CHRISTIANÆ. FIDEI.
VINDEX. ET. ASSERTOR.
OBELISCVM.
AB. ÆGYPTIO. REGE.
IMPVRO. VOTO.
SOLI. DEDICATVM.
SEDIBVS. AVVLSVM. SVIS.
PER. NILVM. TRANSFERRI.
ALEXANDRIAM. IVSSIT.
VT. NOVAM. ROMAM.
AB. SE. TVNC. CONDITAM.
EO. DECORARET. MONVMENTO.


SIXTVS. V. PONT. MAX.
OBELISCVM. HVNC.
SPECIE. EXIMIA.
TEMPORVM. CALAMITATE.
FRACTVM. CIRCI. MAX.
RVINIS. HVMO. LIMOQVE.
ALTE. DEMERSVM. MVLTO.
IMPENSV. EXTRAXIT.
HVNC. IN. LOCVM. MAGNO.
LABORE.
TRANSTVLIT.
FORMÆQVE. PRISTINÆ.
ACCVRATE. RESTITVTVM.
CRVCI. INVICTISSIMÆ.
DICAVIT.
A. M. D. LXXXVIII. PONT. IV.

FL. CONSTANTIVS. AVGVST.
CONSTANTINI. AVG. FIL.
OBELISCVM. A. PATRE.
LOCO. SVO. MOTVM.
DIVQVE. ALEXANDRIÆ.
IACENTEM.
TRECENTORVM. REMIGVM.
IMPOSITVM. NAVI.
MIRANDÆ. VASTITATIS.
PER. MARE. TIBERIMQVE.
MAGNIS. MOLIBVS.
ROMAM. CONVECTVM.
IN. CIRCO. MAX.
PONENDVM.
S. P. Q. R. DD.

Victor tradit, altitudinem hujus Obelisci fuisse pedum CXXXII. sed hoc intelligendum est, a fundo terrae ad summum ejus cacumen; tot enim pedes conficiunt palmi CLXXIII. cum dimidio. Obeliscus autem ipse, juxta Mercati mensuram, continet palm. CXLVIII. cui tamen palmi IV. vetustate corrosi, sunt ablati. Est igitur altus palm. CXXX. usque ad pyramidion, cujus altitudo palmorum XIV. addita palmis CXXX. conficit palm. CXLIV. Latera majora prope basin, Australe & Boreale, latitudinem habent palm. XIII. cum quarta, prope pyramidion palm. IX. cum dimidia. Latera minora, Orientale & Septemtrionale, prope basin continent palm. XII. cum tertia, prope pyramidion VII. cum tribus quartis. Totus denique, a planitie terrae ad summum ejus apicem, altus est palm. CLXXXII.

FO-

b 22



F O R V M
N E R V A E.

FORVM NERVAE communiter omnes opinantur fuiffe ad radices Quirinalis Montis, prope Palatium, quondam *Comitum*, nunc *Grillorum*. Vifitur hic reliqua pars ingentis AEdificii antiqui, cujus partem majorem occupavit *Ecclefia S. Bafilii*, *& Monafterium Neophytarum*. Supereft muri pars magna etiamnunc e faxo quadrato, fed habet illa multos, & contra elegantiam artemque Architecturae reductos amfractus. Apparet hinc viae antiquae, muro huic contiguae, flexus fuiffe eofdem, quos proinde fequi debuit ipfa aedificii ftructura. Pars interior prominet, fuftentata tribus columnis grandibus, ftriatis, & perpulcris, cum Trabeatione magnificentiffima. Et certe licet hinc conjicere, quantus fuerit fplendor, quantaque magnificentia AEdificii veteris.

Forum Nervae fuit poft *Forum Augufti*, & remotius a *Foro Romano*. De hoc Foro Suetonius (*cap.* 5.) *Excitavit Forum Domitianus, quod nunc Nervae vocatur.* Occifo enim Domitiano, antequam abfolveret Forum, Nerva fucceffor perfecit, dedicavitque. Dicebatur vero *Tranfitorium*, non quod opportunum commodumque praeberet tranfitum in Fora alia, ut Marlianus, aliique putant: fic enim & Fora Augufti, & Caefaris, & alia recte appellarentur *Tranfitoria*. Sed quia in eo erat aliquod *Jani Templum*, cum Portis quatuor, five Arcubus. Et hi quidem *Jani Quadrilateri Tranfitiones* vocabantur, quod tranfeuntibus liberum omni tempore praeberent tranfitum. Et fane Nerva *Janum Quadrifrontem*, ex delubro humiliore, tranftulit in Forum fuum. Martialis, (*Lib.* X. *Epigr.* 28.)

Annorum nitidique fator pulcerrime Mundi,
Publica quem primum vota precefque vocant,
Pervius exiguos habitabas ante penates,
Plurima qua medium Roma terebat iter.
Nunc tua Caefareis cinguntur limina donis,
Et fora tot numeras, Jane, quot ora geris.
At tu, fancte pater, tanto pro munere gratus,
Ferrea perpetua clauftra tuere fera.

Tertius, qui Forum hoc exornavit, fuit Imperator Alexander. De eo Lampridius (*in vita Alexandri cap.* 28.) *Statuas Coloffeas, vel pedeftres nudas, vel equeftres, Divis Imperatoribus in Foro D. Nervae, quod tranfitorium dicitur, locavit omnibus cum titulis, & columnis aereis, quae geftorum ordinem continerent, exemplo Augufti, qui fummorum virorum ftatuas in foro fuo e marmore collocavit, additis geftis.*

Praetereundum id quoque non eft, quod in Foro Nervae rei aliquando fuppliciis funt affecti, quum alia Fora tria judiciis habendis effent dicata. Exemplum habemus in Vetronio Turino, qui, acceptis muneribus, multa petentibus, nomine Imperatoris, promiferat. De eo Lampridius refert (*Ibidem cap.* 36.) *In Foro Tranfitorio ad ftipitem illum ligari praecepit* Alexander, *& fumo appofito, quem ex ftipulis atque humidis lignis fieri juffer at, necavit, praecone dicente: Fumo punitur, qui vendidit fumum.*

Spatium Fori hujus certo definiri nequit, fed fuit ornatiffimum, & ftructurae elegantis, utpote aedificari coeptum a Domitiano, aemulatione quadam Caefaris & Augufti. Neque enim Domitianus fecit opera, nifi eximia & praeftantia.


Prope hanc Bafilicam, de qua fumus locuti, in muro, qui Forum complectebatur, vifitur etiamnunc Porta, quae tranfeuntibus patebat, cui nunc corrupte *Arcus Noë*, pro *Nervae*, datur nomen.

Tres denique Columnae marmoreae, ftriatae, & perelegantes, quae hodie confpiciuntur in hoc Foro, dicuntur effe reliquiae *Templi Nervae Caefaris.* Eft autem iis impofita Turris campanaria Ecclefiae monialium S. Bafilii ad latus marmorei AEdificii. De hoc Templo loquitur Plinius (*in Panegyr. cap.* 11.) *Nervam lacrymis primum, ut filium decuit, mox templis honeftafti, non imitatus illos, qui hoc idem, fed alia mente fecerunt.*

P. 23



b. 24



COLVMNA MILLIARIA.



OLVMNAS lapideas, indicantes ſpatiorum notas & ſigna, per totam Italiam primus ſtatuit C. Gracchus, dimenſo viarum ſpatio. Plutarchus (*in Gracchis*) *Elaboravit autem potiſſimum in viis muniendis, tam utilitatis, quam oblectamenti, & ornatus curam gerens. Ducebantur enim directae ad amuſſim per agros viae, atque hinc lapide quadrato ſternebantur, hinc glareae aggeribus advectis referciebantur. Complebat, & pontibus jungebat lacunas torrentibus, vel ſpecubus excavatas, ac lateribus pari inter ſe faſtigio utrimque comparatis, aequabilem habebat & viſendam undique opus faciem. Adhaec viam omnem per milliaria dimenſus (capit autem paulo minus octo ſtadia milliare) columnas lapideas, ſpatii ſignandi gratia, locavit.* Ovidius (II. *Faſt. ubi de Terminalibus.*)

Illa lanigeri pecoris tibi, Termine, fibris
Sacra videt fieri ſextus ad Urbe lapis.

Rutilius (*Itinerario Lib.* II. *v.* 7.)

Intervalla viae feſſis praeſtare videtur,
Qui notat inſcriptus millia crebra lapis.

Una harum Columnarum milliariarum, praeferens numerum Primum, hodie tranſlata eſt in Capitolium. His longitudines viarum indicabantur, quantoque quis ſpatio ab Urbe abeſſet. Et haec quidem omnium fuit prima, Urbique proxima, ut ex illius conſtat Titulo. Huic Columnae etiam inciſae videntur Inſcriptiones ſequentes.

In Scapi parte I. & II.

IMP. CAES. VESPA
SIANVS. AVG
PONT. MAX. TRIB
POT. VII. IMP
XVII. P. P. CEN
SOR. COS. VII. DE
SIGN. VIII.

IMP. NERVA. CAES
AVG. PONT
MAX. TRIB. POT
COS. III
PATER. PATRIAE
REFECIT

In baſi vero haec ſequens Inſcriptio legitur.

IMP. CAESARI. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. F
DIVI. NERVAE. NEPOTI
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONTIF. MAXIM
TRIB. POT. II. COS. II


VIATORES. QVI. IPSI. ET. COS. ET
PR. CETERISQ. MAGISTRATIB
APPARENT. ET. H. V.

Ab utroque autem Baſis latere leguntur hae duae Inſcriptiones.


QVÆ. PEREGRINA. DIV. STETERAM.
MENSVRA. VIARVM.
NVNC. CAPITOLINI. CVLMINIS.
INCOLA. SVM.
MVTIVS. DE. MAXIMIS.
LEONARDVS. CIOGNIVS.
LVTIVS. SABELLVS.
CONSERVATORES.
SCIPIO, HIPPOLYTVS. DE ROSSI. PRIOR.
IN. MELIOREM. FORMAM.
REDEGERVNT.
AN. SAL. M. D C. XCII.

S. P. Q. R.
COLVMNAM. MILLIARIAM.
PRIMI. AB. VRBE. LAPIDIS. INDICEM.
AB. IMPP. VESPASIANO. ET. NERVA.
RESTITVTAM.
DE. RVINIS. SVBVRBANIS. VIÆ. APPIÆ.
IN. CAPITOLIVM. TRANSTVLIT.
AVCTORIBVS.
ANTONIO. MACAROTIO. DE. LEONIB. } CONSS.
IVLIO. GVALTERIO. } CONSS.
VINCENTIO. CAPOCIO. } CONSS.
HORATIO. MVTIO. PRIORE.

p. 25



COLUMNA
DUILIA, sive ROSTRATA.



COLUMNAE plures fuerunt quondam in Foro positae pro tropaeis. Et docet Plinius harum usum statuis esse vetustiorem (*Lib.* XXXIV. *cap.* 5.) ubi loquitur de Maenia & Duilia. *Antiquior Columnarum, sicut C. Maenio, qui devicerat priscos Latinos, quibus ex foedere tertias praedae Pop. Rom. praestabat, eodemque in Consulatu in suggestis rostra devictis Antiatibus fixerat Anno Urbis* CCCCXVI. *Item C. Duilio, qui primus Navalem Triumphum egit de Poenis, quae est etiamnunc in Foro.*

Fuerat haec antiquitus ornata rostris aeneis navium captarum a Carthaginiensibus, bello maritimo; teste Silio (*Lib.* VI. *v.* 663.)

AEquoreum juxta decus, & navale tropaeum
Rostra gerens, nivea surgebat mole columna
Exuvias Marti, donumque Duillius alto
Ante omnes mersa Poenorum classe dicabat.

Hodie marmorea duntaxat rostra in Columna nova conspiciuntur, cui basis, seu parastata potius, non procul ab Arcu Septimii, in Foro ipso Romano, proximis superioribus annis, e ruderibus effossa fuit. Quo autem auctore, aut quando haec parastata in Capitolium e Foro sit translata, ignorare me cum Ciacconio, & aliis Viris Doctis libens profiteor. Boherellus certe, & Tanaquillus Faber, & Gassendus ante hos, non arbitrantur veram esse Duilii Inscriptionem, quae inserta stat muro Palatii Conservatorum in Capitolio, ad imam scalam a sinistra in introitu. Ciacconius quoque hanc Basin Columnae ejus, post C. Caesarem, & fortasse etiam post Plinium, atque Quinctilianum restitutam censet, eo quod ad antiquam scribendi rationem negligentius effecta sit & expressa, prout hoc accuratissime ab ipso Ciacconio ostenditur, per totam explicationem Inscriptionis hujus, quam supplere ex conjecturis doctissimis, in amissis vocabulis, feliciter est conatus.

Inſcriptionem, quae in Baſi ejus legitur, Ciacconius minoribus litteris ſupplevit, & hujus argumenti fuiſſe, exiſtimat.

C. BILIOS. M. F. COS. ADVORSOM. CARTACINIENSEIS. EN. SICELIAD
REM. CERENS. ECEST. ANOS. COCNATOS. POPLI. ROMANI. ARTISVMAD
OBSEDEONED. EXEMET. LECION. EIS. CARTACINIENSEIS. OMNEIS
MAXIMOSQVE. MACISTRATOS. LVGAES. BOVEBOS. RELICTEIS
NOVEM. CASTREIS. EXFOCIONT. MACELAM. MOENITAM. VRBEM
PVCNANDOD. CEPET. ENQVE. EODEM. MACESTRATOD. PROSPERE
REM. NAVEBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS. CESET. RESMECOSQVE
CLASESQVE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVET. PARAVETQVE. DIEBOS LX
CVMQVE EIS. NAVEBVS. CLASEIS. POENICAS. OMNIS. PARATASQVE.
SVMAS. COPIAS. CARTACINIENSIS. PRAESENTED. MAXVMOD
DICTATORED. OLOROM. IN. ALTOD. MARID. PVCNANDOD. VICET
XXXQVE. NAVEIS. CEPET. CVM. SOCIEIS. SEPTEMRESMOMQVE. DVCIS
QVINRESMOSQVE. TRIRESMOSQVE. NAVEIS. XX. DEPRESET
AVROM. CAPTOM. NVMEI ꟾꟾꟾ DCC

ARCENTOM. CAPTOM. PRAEDA. NVMEI CCCIↃↃↃ C

CRAVE. CAPTOM. AES. CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ
CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ
CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ PONDOD
TRIOMPOQVE. NAVALED. PRAEDAD. POPLOM. ROMANOM. DONAVET
CAPTIVOS. CARTACINIENSEIS. INCENVOS. DVXET. ANTE. CVROM
PRIMOSQVE. CONSOL. DE. SICELEIS. CLASEQVE. CARTACINIENSEOM
TRIOMPAVET. EAROM. REROM. ERCO. S. P. Q. R. EI. HANCE. COLVMNAM. P.

Explicatio Columnae Roſtratae, a Ciacconio concinnata. Quae ſemicirculis includuntur, explicationis cauſſa ſunt addita.

Cajus Duilius Marci filius Conſul adverſus Carthaginienſes in Sicilia
rem gerens, Egeſtanos (ſocios atque) cognatos populi Romani artiſſima
obſidione exemit. Legiones (enim) omnes Carthaginienſium (qui Egeſtam obſidebant, & Amilcar)
maximus (eorum) magiſtratus (feſtinandi ſtudio) elephantis relictis
novem, caſtris effugerunt. Macellam (deinde) munitam (validamque) urbem
pugnando cepit. Atque in eodem magiſtratu proſpere rem navibus mari Conſul primus geſſit: remiges
claſſeſque navales primus ornavit atque paravit diebus ſexaginta. & cum his navibus, claſſes Punicas omnes,
paràtas (ornatas) que ſummas côpias Carthaginienſium, praeſente (Annibale) maximo dictatore illorum, in
alto mari pugnando ſuperavit;
trigintaque naves cum ſociis (hoc eſt cum ipſis hominibus) cepit, & ſeptiremem praetoriam,
quinqueremes (praeterea) ac triremes naves XX *depreſſit.*
Aurum captum in praeda nummi III. M. DCC.
Argentum captum in praeda nummi C. M.
AEs grave captum vicies ſemel centena millia pondo atque in triumpho navali praedam (omnem in aerarium)
Popul. Rom. intulit,
captivos (etiam) Carthaginienſes ingenuos (hoc eſt, nobiles aliquot) ante currum duxit:
primuſque Conſul, de Siculis, & claſſe Carthaginienſium triumphavit. Earum rerum ergo
S. P. Q. R. ei hancce columnam poſuit. vel
triumphavit. Earum rerum ergo Marti donum dedit atque dicavit.

COLV-

b. 26.



COLVMNA

INCOGNITA, IN CAMPO VACCINO.


Olvmnae hujus nullam invenio mentionem esse factam, apud Scriptores Veteres, vetustaeque antiquitatis Interpretes Litteratissimos. Quum Romae peregrinarer, consului super ea re antiquitatum Romanarum Doctissimos, sed inutiliter, ac frustra. Est tamen in semet satis elegans, quamvis ignota penitus Romanis, civibus suis. Si quis autem conjecturis hac in re sit locus; suspicor, unam esse ex ruinis Vestibuli Templi cujusdam. Hujus enim generis Columnae iis usibus destinabantur.

Columna ipsa est striata ex lapide Pario, habetque diametron palmor. VI. & unius pollicis, ordine Corinthio.

b 27



COLVMNA
PACIS, ſive S. MARIAE MAIORIS.



OLVMNA haec ſtetit olim in ruinis Templi Pacis, quod maximum omnium & ſplendidiſſimum Veſpaſianus condiderat, & temporibus Commodi eſt exuſtum. Tota eſt marmorea, ſtriata, admirandaeque altitudinis, poteſtque videri ſuſtinuiſſe fornicis latus annexum. Hanc Papa Paulus V. inde avehi, & in Exquilini Montis area Meridiana collocari juſſit in baſin, quam conſtruxit, ante Liberianam Baſilicam; atque in ſummo culmine ejus poſuit aeream ſtatuam Virginis, Servatorem geſtantis, inauratam.

Opus hoc perfecit Carolus Madernus, Architectus Mediolanenſis. Statuam vero ex argilla confecit primum Guilielmus Gallus, quam ex aere deinde fudit Dominicus Ferrerus. Hujus ſtatuae altitudo eſt palmorum viginti. Columna vero explet palmos ſeptuaginta quinque, ſine baſi & periſtylio. Tota autem a fundo plateae, cum ſtatua & baſi, ad palmos centum & ſeptuaginta quinque aſcendit. Diametros ejus eſt palmorum octo, & pollicum trium. Columna ipſa ſolidus eſt, & unicus Lapis marmoris Parii, ordinis Corinthii.

Baſi ſuperimpoſiti cernuntur dracones duo, & totidem aquilae, ex aere, deauratique, quos ſuis inſculptos praeferebat Inſignibus Papa Paulus V. Borgheſius. Ad baſin ejus idem Pontifex conduxit Aquam Felicem, & illic conſtruxit civium bono fontem publicum.

Balthaſar Anſidaeus Peruſinus, Baſilicae Vaticanae cuſtos, ſequentem baſis titulum compoſuit.

PAVLVS. V. PONT. MAX.
COLVMNAM. VETERIS. MAGNIFICENTIÆ. MONVMENTVM.
INFORMI. SITV. OBDVCTAM.
NEGLECTAMQVE. EX. IMMANIBVS. TEMPLI. RVINIS.
QVOD. VESPASIANVS. AVGVSTVS. ACTO. DE. IVDÆIS. TRIVMPHO
ET. REIPVBLICÆ. STATV. CONFIRMATO. PACI. DICAVERAT.
IN. HANC. SPLENDIDISSIMAM. SEDEM. AD. BASILICÆ. LIBERIANÆ.
DECOREM. AVGENDVM. SVO. IVSSV. EXPORTATAM.
ET. PRISTINO. NITORI. RESTITVTAM.
BEATISSIMÆ. VIRGINI.
EX. CVIVS. VISCERIBVS. PRINCEPS. VERÆ. PACIS. GENITVS. EST.
DONVM. DEDIT.
ÆNEAMQVE. EIVSDEM. VIRGINIS. STATVAM. FASTIGIO. IMPOSVIT.
ANNO. SAL. MDC. XIV. PONTIF. IX.

Antonius Querengus, utriusque Signaturae Referendarius, lateribus ejusdem Basis adscribi curavit hosce Jambos.


IGNIS. COLVMNA.
PRÆTVLIT. LVMEN. PIIS.
DESERTA. NOCTV.
VT. PERMEARENT. INVIA.
SECVRI. AD. ARCES.
HÆC. RECLVDIT. IGNEAS.
MONSTRANTE. AB. ALTA. SEDE.
CALLEM. VIRGINE.

IMPVRA. FALSI. TEMPLA.
QVONDAM. NVMINIS.
IVBENTE. MOESTA.
SVSTINEBAM. CÆSARE.
NVNC. LÆTA. VERI.
PERFERENS. MATREM. DEI.
TE. PAVLE. NVLLIS.
OBTICEBO. SÆCVLIS.

VASTA. COLVMNAM. MOLE.
QVÆ. STETIT. DIV.
PACIS. PROPHANA. IN ÆDE.
PAVLVS. TRANSTVLIT.
IN. EXQVILINVM. QVINTVS.
ET. SANCTISSIMÆ.
PAX. VNDE. VERA. EST.
DEDICAVIT. VIRGINI.

COLV-

b. 28



COLVMNA
ANTONINI.



OLVMNAM, seu cochlidem hanc, Marco Aurelio Antonino Pio, sed jam mortuo, erexit Senatus, in Foro nominis ejusdem.

Factam, ad exemplar Columnae Trajani, dedicavit, in Campi Martii area Flaminia, Senatus M. Aurelio Antonino Pio, Philosopho, ut diximus, non autem Antonino Pio, ejus socero. Siquidem, notante Nardino & Donato & aliis, in ipsa Columna insculptae imagines Marcomannici belli, quod Marcus gessit, non Antoninus Pius, una cum icuncula Jovis Pluvii, laborante siti exercitu, satis illustre documentum sunt, Columnam hanc a Senatu, & filio ejus Commodo erectam esse memoriae patris, Marci Aurelii Antonini Philosophi. Nummus vero, a Nardino, cum effigie Columnae citatus, cusus fuit in honorem Antonini Pii, exhibetque aliam columnam solidam, ei Imperatori erectam, quae anno demum M D CCIII. eruta est. Vide hac de re (*Dissert. Cl. V. Johannis Vignolii, ut & R. P. Francisc. Blanchini Dissert. de Kalend. & Cyclo Caesaris.*)

Gradus habet centum nonaginta: reliqui septem, qui ab antiquae portae limine incipiebant, terra sunt obruti. Fenestellae numerantur quatuor & quadraginta in Columna, & quatuor aliae fuerunt in basi vetere, quarum una tantum mansit aperta.

In ejus fastigio summo ingens stetit statua M. Aurelii Antonini Philosophi, prout ex antiquis Scriptoribus discimus. Visuntur quoque, ut notavimus, in hac Columna imagines, exprimentes gestas in bello Marcomannico res, prout id non obscure ex historiarum fide liquet. Clarissime tamen, ut dictum, id constat ex imagine Pluvii Jovis fulminantis. Expressum hoc in Columna voluerunt, quod pietate militum Legionis Christianorum (quae proinde, uti vulgus credit, *Legio fulminatrix* dicta fuit) impetrata a Deo est pluvia exercitui sitienti, & obsesso. Nam Gentiles id beneficium Diis suis tribuebant. Julius Capitolinus, in M. Antonino Philosopho (*cap.* 24.) *Fulmen de coelo precibus suis contra hostium machinamentum Marcus extorsit, suis pluvia impetrata, cum siti laborarent.* Legendus erit Baronius, in suis Annalibus accuratius haec describens (*Tom.* II. *An. Sal.* 176.)

Fuit autem elaborata non tanto artificio, quanto constat Trajani Columnam esse factam. Artes quippe tunc temporis magnam partem erant diminutae, ut notat Doctissimus Casalius (*cap.* II. *de Splendore Urbis.*)

Huic autem Imperatori, plura honoris & gloriae monumenta a Senatu Populoque Romano decreta fuisse, testantur Historici. Aurelius Victor (*in Epitome*) *De ejus morte nuntio Romam pervecto, &c. omnes pari sensu praesumpserunt, Marcum coelo receptum esse, ob cujus honorem templa, Columnae, multaque alia decreta sunt.* Et idem Auctor (*de Caesaribus.*) *Qui sejuncti in aliis Patres & vulgus, soli omnia decrevere, templa, Columnas, sacerdotes.*

Hanc Columnam, ex marmore Pario factam, ruinis fatiscentem, & incendiis ac vetustate collabascentem, injuriaque temporum deformem, Sixtus V. restauravit. Factum id An. Sal. M. D. LXXXIX. Architecto operis Dominico Fontana, qui & Columnae fastigio imposuit S. Pauli simulacrum, ex aere deauratum, altumque palmos Romanos XIX. Nam huic Apostolo Columna haec ab eodem Pontifice fuit consecrata, quod & testatur Titulus, legendus subter pedes statuae Pauli, divisus in quatuor partes.

SIXTVS. V. S. PAVLO. APOST. PONTIF. ANNO. IV.

Inſcriptiones ſequentes habentur in quatuor Baſis Columnae lateribus.

SIXTVS. V. PONT. MAX.
COLVMNAM. HANC.
COCHLIDEM. IMP.
ANTONINO. DICATAM.
MISERE. LACERAM.
RVINOSAMQVE. PRIMÆ.
FORMÆ. RESTITVIT.
A. M. D. LXXXIX. PONT. IV.

SIXTVS. V. PONT. MAX.
COLVMNAM. HANC.
AB. OMNI. IMPIETATE.
EXPVRGATAM.
S. PAVLO. APOSTOLO.
ÆNEA. EIVS. STATVA.
INAVRATA. IN. SVMMO.
VERTICE. POSITA. D. D.
A. M. D. LXXXIX. PONT. IV.

M. AVRELIVS. IMP
ARMENIS. PARTHIS
GERMANISQVE. BELLO
MAXIMO. DEVICTIS
TRIVMPHALEM. HANC
COLVMNAM. REBVS
GESTIS. INSIGNEM
IMP. ANTONINO. PIO
PATRI. DEDICAVIT

TRIVMPHALIS.
ET. SACRA. NVNC. SVM.
CHRISTI. VERE. PIVM.
DISCIPVLVM. FERENS.
QVI. PER. CRVCIS.
PRÆDICATIONEM.
DE. ROMANIS.
BARBARISQVE.
TRIVMPHAVIT.

Manifeſte in hac tertia Inſcriptione erratum eſt, contra fidem hiſtoriarum omnium. Siquidem, ut vidimus, hanc Columnam ipſi Marco Aurelio, jam defuncto, ponendam curavit Senatus, non contra, Marcus Aurelius vivens Patri, vel potius Socero.

Tota Columna alta eſt palm. Rom. ccxxx. Diametros Scapi continet palm. xvi. & iv. poll.

THER-

b 29



THERMAE
TITI.

HERMAE TITI fuerunt prope ipſam aedem S.Petri in Vincula, coenobiumque & hortum. Oſtendunt hoc manifeſtiſſime monumenta antiquitatis inſignia, quae illic conſpiciuntur, fabricis ſpeciem Thermarum referentia. Teſtis Suetonius, Tito (*cap.* 7.) *Amphitheatro dedicato, thermiſque juxta celeriter exſtructis* (Titus) *munus edidit apparatiſſimum, largiſſimumque.* Martialis, *de Spectaculis* (*epigr.* 2.)

Hic, ubi miramur velocia munera thermas,
Abſtulerat miſeris tecta ſuperbus ager.

Et (*Lib.* III. *epigr.* 20.)

Titine thermis, an lavatur Agrippae.

Sunt qui Trajanum non feciſſe novas thermas, ſed veteres Titi inſtauraſſe affirmant, contra auctoritatem Victoris & Rufi, qui utraſque diſtingunt, dividuntque. Multo tamen eſt veriſimilius; Trajanum thermas Titi ampliaſſe, aedificiis novis additis, ad majorem illarum ſplendorem, atque commoditatem. Et hinc quidem venit nomen *Thermarum Trajani.* Eſtque nulla ratio conjecturae vero propioris; quam novas a Trajano exſtructas non fuiſſe thermas, in tanta vicinia thermarum Titi. Donati tamen ſententia eſt; Titi Caeſaris Thermas fuiſſe proximas, & paene contiguas thermis a Trajano aedificatis.

Inventa ſunt, in his Thermis, duo marmoris fruſta: in horum uno erat ſculpta flamma cum hoc Titulo.

IOVI
IMP. VESPASIANVS
AVG.
PER. COLLEGIVM. PONTIFICVM
FECIT.

Sed Fulvius Urſinus, qui Marlianum notis illuſtravit, docet; falſam eſſe Inſcriptionem de Titi Thermis, quum ſcribi debuiſſet Trajani, ex duabus baſibus ſtatuarum, quarum altera tranſlata fuit e Trajani thermis in aedes Maffeorum, cum hac Inſcriptione.

IVLIVS FELIX CAMPANIA
NVS VC PRAEFECTVS VRBI
AD AVGENDAM THERMA
RVM TRAIANARVM GRATIAM
• CONLOCAVIT •

Magna eſt controverſia de loco nuncupato Italica Lingua, *le ſette Sale di Veſpaſiano*, *ſeptem aulae, ſive atria Veſpaſiani*; & de loco in thermis Diocletiani, vulgo, dicto *Botte de therme* (ad quae verba notat Urſinus Marliani commentator: *Hic quae thermarum* DOLIA *vocitantur erat dicendum.*) Eſt autem ſciendum, caſtella aquarum fuiſſe. Neque enim thermae, tantum ad uſus publicos exſtructae, ſua habuerunt caſtella, in quae juxta moduli erogationem, quinarias ſuas accipiebant, quas ſubminiſtrarent balneis, prout requirebat uſus; verum etiam privatis thermis, ut Frontinus refert, ſua fuerunt caſtella, in quae derivarent aquam, ex publico caſtello depromptam, eandemque in uſus ſibi neceſſarios diſtribuerent. Sententia Monteſauconii eſt, fuiſſe Lymphaeum, ſive Nymphaeum Claudii, a Rufo conſequenter poſt Thermas Titi & Trajani recenſitum: nam & locus quadrat, ac

vix putarit quiſpiam tam nobile aedificium in enumeratione praetermiſſum fuiſſe; neque poteſt ſuſpicio cadere in quidpiam aliorum, quae memorantur a Rufo. Notat idem Montefauconius, in ſingulis aulis ſeptem eſſe portas, a quibus ad vicinas ſit tranſitus, ita concinne poſitas, ut ab ultima aula, qui in porta conſiſtit, ſeptem una ſerie portas a prima ad poſtremam aulam linea tranſverſa videa. A conſtanti ſeptem portarum numero impetratum eſt, ut aulae, quae novem ſunt, ſeptem aulae, ſive *le ſette Sale*, plebejo uſu vocitentur. Exſtant vero hae novem camerae ingentes ſolo vicino demiſſiores, ubi quis ex S. Martini Eccleſia, ſpectandi cauſſa, in conterminam ierit viam. Omnes autem ſunt latitudine pedum XVII. cum dimidio. Longitudo varia eſt, nec una; ubi vero maxima, continet pedes CXXXVII.

Inter opera publica recenſentur *Balneum Torquati* & *Veſpaſiani*. Intelligendus eſt autem *Titus Veſpaſianus*, qui *Amphitheatrum*, & *prope illud* Balneum, ſeu *Thermas celeriter* (ut loquitur Suetonius) *exſtruxerat*. De his ita ſcribit Dion (*Lib.* LXVI.) *Amphitheatrum venationum cauſſa, & Balnea ſuo nomine dedicavit*. Fuit ergo & ibi *Theatrum Torquati*, de quo tamen nihildum me inveniſſe certo ſcio. Apud Sextum Rufum & P. Victorem legitur (*in regione prima*) *Lacus Torquati & Veſpaſiani*. Sed utrumque verum eſſe queat: nam lacus ad uſum balnei erant.

Ante complures annos Ferdinandus Cardinalis Mediceus *Labrum ingens* ex his locis avexit in hortos ſuos, ſitos in monte Pincio.

In ruinis prope has Thermas inventa fuit *Laocoontis ſtatua*, quam in domo Titi Imperatoris collocatam fuiſſe Plinius auctor eſt (*Lib.* XXXVI. *cap.* 5. *ſub finem*) his verbis: *Laocoon in Titi Imperatoris domo, omnibus & picturae, & ſtatuariae artis praeferendum: ex uno lapide eum, & liberos, draconumque mirabiles nexus de conſilii ſententia fecere ſummi artifices Ageſander, & Polydorus, & Athenodorus, Rhodii.* Sed obſervarunt aliqui, ſtatuam hanc Laocoontis & liberorum ejus, quae in Vaticano nunc eſt collocata, e duobus lapidibus eſſe factam, & propterea hanc ſtatuam Laocoontis eſſe non poſſe, quae ſtetit in domo Titi. Omnibus tamen rite conſideratis rationibus, dubitari nefas eſt, quin Vaticanus Laocoon non ſit alius ab eo, de quo Plinius loquitur.

Duas exhibemus harum Thermarum Icones.

THER-



b. 31



THERMAE
PHILIPPI.

D Thermas Philippi censentur pertinuisse rudera, quae ad Ecclesiam S. Matthaei in Merulana. Et quamquam certi nihil ea de re constat; conjecturae tamen aliquatenus confirmantur, ex situ loci, & forma ruinarum. Videtur enim id ipsum probare vetus Inscriptio, ibidem reperta, & a Panvinio allegata.

L. RVBRIVS. GETA. CVR. P. CCCXXIII
D. N. PHILIPPI. AVG. THER.....

Hinc verisimile existimatur quoque, quum Philippus habuerit suam domum in Regione secunda, fuisse hanc Thermis ejus vicinam in Suburra. Adscendebatur forte ad has Thermas per eam partem Tabernolae, quae ducebat in Exquilias. De hoc Varro (*Lib.* IV. *de LL. p.* 15.) *Oppius mons terticepsos lucum Exquilinum, dexterior via in Tabernola est.* Ergo & non potuit procul abfuisse ab his Thermis Lucus Exquilinus.

Balneorum usus quotidianus apud Hebraeos, Assyrios, Graecos, aliosque Orientis populos, receptus antiquitus fuisse, in historiis legitur; hinc ad Romanos postea est translatus, propter aëris aestum nimium, unde sudore manantibus, & pulvere conspersis corporibus, frequenti abluitione opus esse, constat.

Valerius Maximus (*Lib.* IX. *cap.* 1. *exempl.* 1.) & Macrobius (*Saturn. Lib.* II. *cap.* 11.) scribunt, Sergium Oratam, hominem voluptarium, etiam pensiles Romae Balneas instituisse. Et Plinius (*Lib.* XXXIX. *cap.* 1.) tradit, usum Balneorum coepisse L. AEmilio & M. Licinio Coss. An. U. C. DXXXV.

Erant in illis Caldaria, Frigidaria & Tepidaria. Plinius (*Lib.* V. *epist.* 6.) *Frigidariae cellae connectitur media, cui Sol benignissime praesto est, caldariae magis: prominet enim, tertia a Sole longius, a luce non longius.* Vitruvius (*Lib.* V. *cap.* 10.) *Ahena supra hypocaustum tria sunt componenda, unum caldarium, alterum tepidarium, tertium frigidarium: & ita collocanda, uti ex tepidario in caldarium, quantum aquae caldae exierit, influat de frigidario in tepidarium ad eundem modum.* Excitabatur autem primo sudor in *caldaria* cella, qui aqua calente abstergebatur; post fotum deinde in *tepidaria* corpus, tandem in *frigidaria* sensim ad nativum temperamentum revocabantur loti, qui etiam in *unguentaria* ungebantur. Hic erant etiam Apodyteria, in quibus Balnea ingressuri vestes deponebant. Idem Plinius (*in Epist. dicta*) *Inde Apodyterium Balnei laxum & hilare excipit cella frigidaria, in qua baptisterium amplum atque opacum.*

Domesticis Balneis usos fuisse cives paullo ditiores, testatur Cicero, Terentiam monens, *ut curet, ne labrum in Balneo desit* (*Lib.* XIV. *ad Fam. epist.* 20.) Terentius (*Eun. Act.* III. *sc.* 5. *v.* 34.) ubi de Pamphila loquitur.

— — *Continuo haec adornant, ut lavet.*

Nonnulli postea privati cives, lucri caussa, in pluribus Urbis vicis, Balnea exstruxerunt, ubi minimo pretio lavabantur, & refocillabantur quivis illuc advenientes. Martialis (*Lib.* II. *ep.* 14.)

Nec Fortunati spernit, nec Balnea Fausti;
Nec Grylli tenebras, AEoliamque Lupi:
Nam Thermis iterum cunctis iterumque lavatur.

Curatores Balneorum privatorum erant hi, Fortunatus, Gryllus & Faustus.

Postea Imperatores superbiore structura Thermas moliebantur; quippe apud delicatiores necessarii usus ratio vertebatur in luxum & lasciviam. Ostendunt hoc Thermae Agrippae sub Augusto, Neronis, Titi, Trajani, Caracallae & Diocletiani, quarum rudera exhibemus in effigiebus operis hujus nostri.

In initio hae Thermae solis Imperatoribus serviebant, & patebant; sed postea etiam aperiebantur cuivis e populo. Quin & Principes ad id dementiae venerant, ut cum populo promiscue lavarentur. Spartianus (*in Hadr. cap.* 17.) *Publice & frequenter cum omnibus lavit.*

Fuerunt etiam Thermae Hiemales. Vopiscus (*in Aureliano cap.* 45.) *Thermas in Transtiberina regione Aurelianus facere paravit hiemales, quod aquae frigidioris copia illic deesset.*

Fuerunt haec Balnea interdum mixta, seu communia viris ac feminis; de his Cyprianus (*Libr. de Habit. Virg.*) Christiane haec scribit. *Quid vero*, inquit, *quae promiscuas Balneas adeunt, quae oculis ad libidinem curiosis pudori & pudicitiae corpora dicata prostituunt, quae cum viros, atque a viris nudae vident turpiter, ac videntur, nonne ipsae illecebram vitiis praestant? nonne ad corruptelam & injuriam suam desideria praesentium sollicitant, & invitant.*

Tempus pomeridianum erat his lavationibus tributum, & quidem aestate hora octava, hieme nona, quae apud Italos sunt vigesima tempore aestivo, & vigesima prima hiberno, hoc est, apud veteres Romanos, horis ante Solis occasum tribus, & paullulum ante coenam. Plinius (*Lib.* III. *epist.* 1. *de Spurinna*) *Ubi hora*, inquit, *balnei nuntiata est (est autem hieme nona, aestate octava) in Sole, si caret vento, ambulat nudus. Deinde movetur pila vehementer & diu.* Martialis (*Lib.* XI. *ep.* 53.)

Octavam poteris servare, lavabimur una:
Scis quam sint Stephani Balnea juncta mihi.

Lavandi hora indicabatur tintinnabulo, quo ad Thermas vocabantur, qui lavari volebant, ut properarent; non venientibus enim periculum denuntiabatur, ut sola frigida lavarentur, clausis Thermis. Martialis (*Lib.* XIV. *ep.* 163.)

Redde pilam: sonat aes Thermarum: ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum?

Ad hos usus adhibebantur aenei, aut ferrei strigiles, ad fricandum & purgandum corpus; ampullae item, & gutti ad guttatim perfundendum corpus lotum oleo, & unguentis bene olentibus. Juvenalis (*Sat.* III. *v.* 263.)

— — *& sonat* (domus) *unctis*
Strigilibus, & pleno componit lintea gutto.

Delicatiores enim hic variis frictionibus & expolitionibus corporum indulgebant; unde illud Lucillii.

Rador, subvellor, desquamor, pumicor, ornor,
Depilor, & pingor.

Loturi sedebant in soliis perforatis, qui marmorei erant in Thermis magnificentissimis. Martialis (*Lib.* II. *ep.* 70.)

Non vis in solio prius lavari
Quemquam, Cotile.

Martialis etiam tradit, linteis usos fuisse Veteres in abstergendis corporibus. (*Lib.* XII. *epigr.* 71.)

Lintea ferret Apro vacuus cum vernula nuper,
Et supra togulam lusca sederet anus.


Anui enim huic servandae vestes fuerant datae.

Post lotionem loti iterum in lectum reponebantur. Terentius (*Eunuch. Act.* III. *sc.* 5. *v.* 44.)

— — *Accersitur lavatum interea virgo:*
It, lavit, redit. deinde eam in lectum illae collocarunt.

AEdilibus in Municipiis quibusdam demandata erat cura Balneorum publicorum, qui ipsi quandoque municipibus praestabant, ut gratuito lavarentur. Alfenus (*in l. qui Insulam.* 30. §. 1. *ff. locati*) *AEdilis*, inquit, *in municipio Balneas conduxerat, ut eo anno municipes gratis lavarentur: post tres menses incendio facto, respondit, posse agi cum balneatore.* Arcadius Charisius (*l. ult.* 18. *ff. de muner. & honor.* §. 5. *cura quoque.*) docet; Curatores publice factos, qui Balnea publica calefieri curabant, quibus ex publico ad hunc usum pecunia dabatur. *Inter personalia*, ait, *munera in quibusdam civitatibus numeratur & calefactio publica Balnei, si ex reditibus alicujus civitatis curatori pecunia subministretur.* Est etiam memorabilis lex Imperatorum, Arcadii & Honorii, super Balneis civitatum (*l. Ne splendidissimae.* 11. *C. de operibus publ.*) *Ne splendidissimae urbes vel oppida vetustate labantur, de reditibus fundorum juris Reipub. tertiam partem reparationi publicorum moenium & Thermarum restitutioni deputamus.*

THER-



THERMAE DIOCLETIANI.

THERMAE DIOCLETIANI vaſtae in monte Quirinali ſeſe produnt. Harum partem occupavit hodie Carthuſianorum amplum Monaſterium, eorundemque Templum, ingens ſatis. Templum vero D. Bernhardi rotundum, nec valde magnum, Calidaria Diocletiani pro parte obtinuit. Reliqua Thermarum vel ruinis jacent obruta, vel minantur eas. Olim hae Thermae Urbis paene ſpeciem referebant, complexae ambitu ſpatioſiſſimo, hinc *Fontem Terminorum* dictum, & granaria publica; inde villam Perettam, multoſque hortos, vineaſque.

Exſtruere coeperunt has Thermas Diocletianus & Maximianus Imperatores. Dicuntur autem XL millia Chriſtianorum, in iis aedificandis, ſerviles operas praeſtitiſſe. (Cardinalis Baronius *Ann. Tom.* II. *ad ann. C.* CCXCVIII.) Inchoatas autem a prioribus Principibus, Succeſſores eorum Conſtantius & Maximianus dedicarunt, exornaruntque nominibus propriis, primorumque Conditorum ſtatuis in iis erectis. Docet hoc marmoris illic effoſſi Titulus ſequens.

THERMAS. DIOCLETIANAS
A VETERIBVS. PRINCIPIB
INSTITVTAS. OMN

Item.

D. D. NN. DIOCLETIANVS. ET
MAXIMIANVS. INVICTI. SENIORES
AVGVSTI. PATRES. IMPERATORVM. ET
CAESARVM. CONSTANTIVS. ET. MAXIMIA
NVS. INVICTI. AVGG. ET. SEVERVS. ET. MAXI
MIANVS. NOBILISS. CAESARES. THERMAS
FELICES. DIOCLETIANI. AVG. FRATRIS. SVI
NOMINE. CONSECRAV. COEPTIS. AEDI
FICIIS. PRO. TANTI. OPERIS. MAGNITV
DINE. OMNI. CVLTV. PERFECTAS
ROMANIS. SVIS. DEDICAV

Huc quoque pertinet alterius marmoris Inſcriptio, quae ſequitur.

CONSTANTIVS. ET. MAXIMIANVS
INVICTI. AVGG.
SEVERVS. ET. MAXIMIANVS
CAESS
THERMAS. ORNAVER. ET
ROMANIS. SVIS. DEDICAVER

In iiſdem Thermis Diocletiani legebantur hae Inſcriptiones.

D. D. N. N. C. AVREL. VALER. DIOCLETIANVS. ET. M. AVREL. VALER. MAXIMIANVS
INVICTI. SENIORES. AVGG. PATRES. IMPP. ET. CAES. P. P......

. . . .

D. D. N. N. FL. VALER. CONSTANTIVS. ET. GALER. VALER. MAXIMINVS
NOBILISSIMI. CAESARES. FF......
THERMAS. FELICES. DIOCLETIANO. COEPTAS. AEDIFICIIS. PRO. TANTI. OPERIS
MAGNITVDINE. OMNI. CVLTV. IAM. PERFECTAS. NVMINI. EIVS. CONSECRARVNT

. . . .

Balnea autem & Thermae, quam inſano ſumptu exſtruerentur, docet Seneca (*Epiſt.* 86.) his verbis. *At nunc quis eſt, qui ſic lavari ſuſtineat. Pauper ſibi videtur, ac ſordidus, niſi parietes magnis & pretioſis orbibus refulſerunt, niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta; niſi illis undique operoſa,*

rosa, & in picturae modum variata circumlitio praetexitur; nisi vitro absconditur camera; nisi Thasius lapis, quondam rarum in aliquo spectaculum templo, piscinas nostras circumdedit, in quas multa sudatione corpora exinanita demittimus; nisi aquam argentea epistomia fuderunt: & adhuc plebejas fistulas loquor. Quid cum ad balnea libertinorum pervenero? quantum statuarum, quantum columnarum est, nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum, impensae caussa? quantum aquarum per gradus cum fragore labentium? Eo deliciarum pervenimus, ut nisi gemmas calcare velimus. De his Ammianus Marcellinus (*Lib.* XVI. *cap.* 6.) *Lavacra in modum provinciarum exstructa.*

Fuerunt in his Thermis plusquam tria millia soliorum, sellarumque in usum lavantium, altissimi item fornices, hemisphaeria, camerationes, testudines, porticus, subdiales areae latissimae, aliaque admirabilia, ut videre est in Molis totius ichnographia. Hodie autem in locum harum Thermarum successerunt horti multi, horrea publica, duo coenobia, vineta & plateae amplissimae.

Fatetur etiam Montefauconius, harum Thermarum immane fuisse spatium. In medio camerae praegrandes in Ecclesiae formam, Michaële Angelo Bonarota artifice, actae sunt, & in crucis Graecae morem concinnatae. Columnarum hic olim magna vis fuit; ad ducentas olim exportatas, aliisque admotas aedificiis, narrabat Carthusiae prior; eae solum relictae, quas amoliri, gravitatis caussa, non licuit, suntque octo numero, aliae aliis densiores, sublimioresque.

In has Thermas translata leguntur varia exercitationum genera, urbanaeque deliciae, ludi, ambulacra, scholae & colymbethrae. Fuit etiam in his Thermis Bibliotheca Ulpia, in qua libri lintei atque elephantini, Principum continentes gesta & Senatusconsulta. De ea Vopiscus scribit in vita Probi (*cap.* 1.) *Usus sum praecipue libris ex Bibliotheca Ulpia, aetate mea Thermis Diocletiani.* Et alio in loco, in Taciti vita (*cap.* 8.) *Bibliotheca Ulpia elephantini pugillares, in sexto armario siti.*

Thermae hae vocantur *Diocletianae* & *Maximianae* vero nomine, etsi dici quoque possunt *Constantinianae*, vel rectius *Constantianae*, eo quod Constantius Imp. postea exornavit illas. Maximianus vero reversus ex Africa aedificavit eas in honorem Diocletiani, An. Sal. CCXCVIII, & alias item sibi Carthagini in Africa. Nam quum defessus esset occidendis militibus Christianis, damnavit eos ad hoc opus faciendum, consumpsitque in eo absolvendo totum septennium. Testantur hoc Acta D. Marcelli a Surio (26. *Septemb.*) & Baronius (*loco superius citato*) ubi haec leguntur: *Tempore illo, quo Maximianus ex Africae partibus rediit Romam, volens placere Diocletiano Augusto, ut in nomine ejus Thermas aedificaret, coepit, ob invidiam Christianorum, omnes milites, sive Romanos, sive alterius generis, ad afflictionem laboris compellere, & per varia loca alios ad lapides, alios ad arenam fodiendam damnare.* Et Eusebius (*in Chronicis.*) *Hoc anno*, inquit, XV. *imperii Diocletiani, Thermae Diocletiani Romae factae; & Maximiani Carthagine.* Postea Constantius, Pater Constantini Magni, & ejus Collegae Imperii, dedicarunt has Thermas Diocletiani, ut liquet ex Inscriptionibus supra adscriptis, ex Panvinio in Fastis. *Constantius & Maximianus invicti Augusti* &c. Exinde igitur hae *Thermae* sunt appellatae *Constantianae*, non *Constantinianae.* Erant enim Romae & aliae *Thermae Constantini*, quarum Ammianus meminit (*Lib.* XXVII. *cap.* 2.)

Has Thermas, sanctorum martyrum manibus exstructas, magis integras religio servavit nobis, eversis aliis, ut pie eruditeque observavit Baronius, earumque muri superstites conversi sunt in Ecclesiam S. Mariae Virginis, Dominae Angelorum, consecrante hanc AEdem Pio IV. Pontifice Maximo, tot jam ante seculis Sanctorum sudore ac sanguine consecratam.


Tres exhibemus harum Thermarum Icones.

THER-

b 33



P. 34.





6 35



THERMAE AGRIPPAE.



HERMIS AGRIPPAE plerique, & recte, adjudicant partem magnam *Caldarii* sphaericam, quae etiamnunc superest, haud ita longe a Pantheo, ubi *Arcus* fuit, dictus *Ciambellae*. In Rufo legimus.... *M. Agrippae.* Sed hic excidit probabiliter vox *Pantheon.* Sequitur mox, *Horti & Thermae Agrippae*, quod non leve vicinitatis praebet argumentum.

Fuerunt autem, inter *Octaviae Porticum* & *Pantheon*, ubi adhuc harum Thermarum exstant vestigia. De his ita scribit Plinius (*Lib.* XXXVI. *cap.* 25. *in calce*) *Lithostrata coeptavere jam sub Silla, parvulis certe crustis, exstat hodieque, quod in Fortunae delubro Praeneste fecit. Pulsa deinde ex humo pavimenta in cameras transiere e vitro: novitium & hoc inventum. Agrippa certe in Thermis, quas Romae fecit, figlinum opus encausto pinxit. In reliquis albaria adornavit: non dubie vitreas facturus cameras, si prius inventum id fuisset, aut a parietibus scenae, ut diximus, Scauri pervenisset in cameras.* Idem Auctor (*Lib.* XXXV. *cap.* 4.) *M. Agrippa, vir rusticitati quam deliciis propior*, &c. *Verum illa torvitas duas tabulas Ajacis & Veneris mercata est a Cizycenis* XII. *pondo. In Thermarum quoque calidissima parte marmoribus incluserat parvas tabellas, paulo ante quam reficerentur sublatas.* Plinius certe (*ibidem*) Thermas has inter praecipua Urbis ornamenta numerat. Et testatur Fabricius, frustula vitrea eo in loco effodi: nam habuerunt arcus & pavimenta ex vitro, quod & Plinium testari vidimus. Idem auctor Fabricius scribit, sua aetate sedilia & ordines scamnorum adhuc apparuisse, & sitas fuisse inter Templa *S. Mariae Rotundae*, & *S. Mariae supra Minervam.* De his loquitur Martialis (*Lib.* III. *epig.* 36.)

Lassus ut in thermas decima, vel serius hora
Te sequar Agrippae.

Ante has Thermas stetit Apoxyomeni signum, quod Tiberius, clamoribus populi reposcentis reponere est coactus, quum id, alio substituto signo, in cubiculum suum transtulisset. Plinius (*Lib.* XXXIV. *cap.* 8.) *Inter quas* (statuas) *distringentem se a Lysippo factum ante thermas dicavit, mire gratum Tiberio Principi. Qui non quivit temperare sibi in eo, quamquam imperiosus sui, inter initia Principatus, transtulitque in cubiculum, alio ibi signo substituto, eumque clamoribus populi reposcentis reposuit.*


Itaque quod ad situm harum Thermarum attinet, fuere in Campo, aut finibus Campi utriusque, prope Pantheon. Dion (*Lib.* LIII. *prope finem*) *Agrippa vaporarium Laconicum fecit. Laconicum autem vocatur id genus balnei, quoniam hic tum sudari corpora, tum inungi oleo praecipue videbantur.* Idem (*Lib.* LIII.) *Moriens Agrippa populo hortos, & balneum a se denominatum legavit.*

In schedis Flaminii Vaccae legitur haec observatio. *AEdes*, inquit, *quas incolo, structae sunt ad Thermas Agrippae. Ibi quum cellam vinariam adornarem, incidi in struem, canalibus bene multis, qui lateritiis ex tabulis confecti erant, perforatam. Hi haud dubie deducendae in hypocausta aquae calidae usui erant. Subtus reperi pavimentum, olim permeandis subterraneis hujusmodi ab antiquis usurpatum, tabellis marmoreis ab utroque latere vestitum, subjectumque pavimentum firmissime structum, pilis bene multis fultum erat. Inter binas autem pilas ignis olim supponebatur, ibidemque in cineres & carbones incidimus. Vacuum item grande inveni, vestitum plumbeis laminis, quae clavis aeneis fixae erant, columnas item ex Granito marmore mediocris altitudinis deprehendi.* Operae pretium me facturum arbitror, si, quae ad hunc Flaminii Vaccae locum adnotavit Montefauconius, non omittam. *Insignia de Thermis Agrippae nobis hic aperit Flaminius, & Vaporarium, sive Hypocaustum describit, quale a Dione atque Plinio recensetur, uti jam diximus. Flaminius igitur istius Vaporarii Laconici formam exprimit, quum ait, pavimentum firmissimum pilis sustentatum fuisse, ita ut inter pilas hujusmodi pavimento & hypocausto calefaciendo ignis subjiceretur: id autem Vaporarium, perinde atque Plinius marmoribus vestitum narrat.*

Ad has Thermas ſuas magis ornandas, Agrippa addiderat *Stagnum*, atque *Euripum*, cum *parva Silva*, inter utrumque media. Poſuit autem in hac ſilva Statuam, Lyſippi manu elaboratam, & repraeſentantem *Leonem cadentem*; ut refert Strabo (*Lib.* XIII.) Ne autem huic horto, thermis, ſtagnoque deeſſent undae ſalientes, *Ramum Aquae Virginis* illuc tranſtulit Agrippa.

Dubitari autem poteſt; an ad eaſdem Thermas & Pantheon fuerit *Campus Agrippae;* an potius ad *Porticum Vipſaniam*, & *Fontem Aquae Virginis.* *Campum autem Agrippae*, teſte Dione (*Lib.* LV.) *Porticu excepta, ac Diribitorium ipſe Auguſtus dedicavit, ſive publici juris fecit.* Et haec quidem Agrippae ſunt Monumenta. Nero autem, quum deliciis loci invitaretur, non raro ibi convivatus eſt ſplendide, Tacito id referente, (*Ann.* XV. *cap.* 37. §. 2.) qui tamen Nero, *Solatium populo exturbato, & profugo Campum Martis, ac Monumenta Agrippae, hortos quin etiam ſuos*, eodem teſte Tacito (*Ann.* XV. *cap.* 39.) *patefecit.*

b 36



THERMAE

ANTONINIANAE.



NTONINIANAE THERMAE ſunt in Regione XII. teſtibus Panvinio & Pancirollo. De his Eutropius ait (*Lib.* VIII. *ſub finem.*) *Opus egregium fecit Lavacri, quae Antoninianae appellantur.* Lampridius ſcribit; has Antoninum Thermas inchoaſſe, Severum abſolviſſe, multumque exornaſſe, in Alexandro (*cap.* 25.)

Hae Thermae Antoninianae fuere omnium, quae Romae erant nobiliſſimae, ſitae inter montes Coelium & Aventinum. De his loquitur Spartianus, in Severo (*cap.* 21.) *Vixit diu in odio populi Antoninus, quamvis & veſtimenta populo dederit, unde Caracalla eſt dictus, & Thermas magnificentiſſimas fecerit.* Idem in Caracalla (*cap.* 9.) *Opera Romae reliquit* (Caracalla) *Thermas nominis ſui eximias, quarum cellam ſolearem Architecti negant poſſe ulla imitatione, qua facta eſt, fieri. Nam & ex aere, vel cupro cancelli ſuperpoſiti eſſe dicuntur, quibus cameratio tota concredita eſt, & tantum eſt ſpatii, ut id ipſum fieri negent potuiſſe docti Mechanici. Idem viam novam munivit, quae eſt ſub ejus Thermis* (Antoninianis ſcilicet) *qua pulcrius inter Romanas plateas non facile quidquam invenias.* Hanc ergo Spartianus fuiſſe teſtatur inter plateas Romanas pulcherrimam, eamque neceſſe eſt, uti Forum aliquod, cinctam fuiſſe columnationibus & porticibus. Aurelius Victor (*de Caeſaribus.*) *Per eum* (Caracallam) *aucta Urbs magno acceſſu viae novae, & ad lavandum abſoluta opera pulchri cultus.* Et Olympiodorus: *Habebant in uſum lavantium ſellas mille ſexcentas, e polito marmore factas.* In his fuerunt etiam duae ſellae iſtae, quae hodie conſpiciuntur in Templo Lateranenſi, ut vult Nardinus. Sed Borrichius aſſerit; fuiſſe haec forſitan ſedilia Poppeae parturientis; quia ſunt fundo pertuſo, inſtituto obſtetricibus laudato. Nardini ſententiam nihilominus confirmat Montefauconius; quia Martinellus, jam ante Nardinum, hoc exiſtimaverit, Olympiodorum ſecutus: has nempe ſellas Lateranenſes perforatas, nec non aliam ſimilem, in monte Caſſino, & ſi quae id genus ſunt, fuiſſe Thermis deputatas.

Vel in ipſis harumce Thermarum ruinis ſpecimen praeteritae magnificentiae comparet. Sunt enim peramplae. Ferunt ſpatium Thermarum interius ſeptingentorum cubitorum longitudine fuiſſe. Sub Thermis, in declivi verſus viam Appiam, longa ſeries camerarum, ſeu tabernarum viſitur, quas Montefauconius exiſtimat eſſe latus Viae Novae, a Caracalla munitae: nam ſitus apprime conſentit cum ſupra adductis Spartiani verbis. De his Thermis Euſebius teſtatur quoque, tam amplas & ſpatioſas fuiſſe eas, ut illic invenirentur cubicula infinita, marmoreis cruſtis ſingula ornatiora, quorum januae & cancelli fuerunt operis aenei, ſed deaurati.

Itaque in hac Regione XII. his Thermis nihil par fuit, in operibus Romanae elegantiae, quas ſitas fuiſſe animadvertimus, in latere Aventini, via Ardeatina, & ab Oriente habuiſſe templum SS. Nerei & Achillei, a Septemtrionibus S. Priſcae, prope viam S. Balbinae, e regione S. Sixti.

Fuerunt autem omnium Thermarum Romanarum magnificentiſſimae, ita ut comparari cum iis nequiverint ne quidem Diocletiani lavacra, utcunque tot millium Chriſtianorum ſudore erecta; ſed marmora illinc ſunt ablata, & lacerae omni cultu, minitanteſque parietinarum ruinam. Videntur hic tamen muri celſi ex latere coctili, cum fornicibus altiſſimis, pavimentis teſſellatis albi nigrique coloris, veſtigiiſque canalium, quibus in diverſos alveos aqua diſtribuebatur: conclavia item non unius ſtructurae & ampla; atque in locis quibuſdam aqua profunda, quae ſuperfuit ex Ductu Appiae, obruto & foedato.


Porticus his Thermis addere inſtituit Elagabalus, ſed eas Alexander Severus perfecit. Lampridius, in Elagabalo (*cap.* 17.) *Et lavacrum, quod Antoninus Caracalla dedicaverat, & lavando, & populum admittendo, ſed porticus defuerant, quae poſtea ob hoc ſub dicto Antonino exſtructae ſunt, & ab Alexandro perfectae.* Idem, in Alexandro (*cap.* 25.) *Antonini Caracallae Thermas additis porticibus perfecit, & ornavit.*

Eusebius & Cassiodorus in Chronicis volunt Antoninum Caracallam fecisse has Anno Imperii quarto, quas, ut diximus, Elagabalus ornatiores reddidit, Alexander perfecit, & ornavit. Serlius autem Architectus, qui ex parietinis superstitibus descripsit earum ichnographiam, asserit, dimensionibus partium & symmetria esse omnium, quae exstant, pulcherrimas. Nam & in iis multo major videbatur ambitus, quam quidem reliquiae earum stantes demonstrant.


Quoniam vero praecelsi e laterculo parietes magnam in his locorum amplitudinem includunt, proinde Paulus V. Pontif. Max. Thermas has dedit Patribus Soc. Jesu, Seminarii Romani, qui hunc locum destinarunt ludicrae recreationi tironum, horis feriatis.

Septem exhibemus harum Thermarum Icones.

p. 37.




b. 38



b. 39.





b. 40.



b 41.







THERMAE
NERONIS & ALEXANDRI.



THERMAS NERO, operis eximii, exſtruxerat ſuas in Campo Martio, quarum fornices & arcus altiſſimi exſtant, prope S. Euſtachium. Martialis (*Lib.* VII. *epigr.* 34.)

— — *Quid Nerone pejus?*
Quid Thermis melius Neronianis?

Et Statius, laudans Balneum Etruſci (*Lib.* I. *Carm.* 5. ℣. 61.)

— — *fas ſit componere magnis*
Parva, Neronea nec qui modo lotus in unda
Hic iterum ſudare neget, &c.

Euſebius teſtatur (*in Chronico.*) *AEdificatas has fuiſſe a Nerone, anno imperii nono, Neronianaſque appellatas. Thermae* tamen *Neronianae*, ut voluit Victor, poſtea dictae ſunt *Alexandrinae.* Caſſiodorus (*in Chronico*) *Thermae a Nerone aedificatae, quas Neronianas appellavit; cujus odio, mutato vocabulo, nunc Alexandrinae nominantur.* Euſebius tamen, in eodem *Chronico* refert: *novas ab Alexandro excitatas, anno imperii quinto.* Et Lampridius (*cap.* 25.) *Opera veterum Principum inſtauravit, ipſe nova multa inſtituit. In his thermas nominis ſui, juxta eas, quae Neronianae fuerunt, aqua inducta, quae Alexandrina nunc dicitur. Nemus Thermis ſuis de privatis aedibus ſuis, quas emerat, dirutis aedificiis, fecit.* Fuit igitur Alexander inſtaurator Veterum operum, qui *Neronis Thermas* reſtituit, atque ornavit; novaſque praeterea aedificavit ipſe. Et fortaſſe non parum audacter quis dixerit, quum Neronianis Thermis Alexandrinae fuerint proximae, utraſque fortaſſe *Alexandrinas* fuiſſe dictas; eo quod in novos Principes prona ſemper eſt adulatio. Huc facit, quod Alexander Thermis Neronianis addidit lucos & ſilvas: qui etiam non his tantummodo, ſed & aliis thermis lumina praebuit, ut per noctem uſui quoque eſſent. Lampridius (*cap.* 24.) *Artium vectigal pulcherrimum inſtituit: ex eoque juſſit thermas, & quas ipſe fundaverat, & ſuperiores, populi uſibus exhiberi: ſilvas etiam in thermis publicis deputavit. Addidit & oleum luminibus thermarum, cum antea non ante auroram paterent, & ante Solis occaſum clauderentur.* Ante Alexandrum tamen & ipſe Nero legitur, thermis oleum praebuiſſe. Suetonius (*Neron. cap.* 12.) *Nero, dedicatis thermis, atque gymnaſio, Senatui quoque & Equiti oleum praebuit. Caeſar autem Tacitus*, Vopiſco teſte (*in ejus vita, cap.* 10.) *denuo thermas omnes ante lucernam claudi juſſit, ne quid per noctem ſeditionis oriretur.*

Magnificentiam & luxum Thermarum Neronis & Alexandri teſtantur ſtatuae quamplurimae, illic repertae, cum columnis & operibus anaglyphis, qualia multa hic ſunt inventa, in eruendis fundamentis Palatii Juſtinianorum, quod ſuperſtructum eſt parti cuidam harum thermarum. Etenim hoc Palatium tam abundanter repletum eſt monumentis ſplendoris antiqui, repertis in his locis, ut in nullo alio reperiantur plura. Igitur minime falſo Seneca legitur, reprehendiſſe luxum temporum ſuorum, in balneis, in Epiſtola LXXXVI: cujus verba jam deſcripſimus ſupra, in explicatione Thermarum Diocletiani.

Alexander fertur quoque addidiſſe omnibus Urbis Regionibus, quae forte non habebant, balnea nova. Lampridius (*cap.* 29.) *Nam & hodie multa dicuntur Alexandri.* Quam vero frequenter Veteres uſi ſint balneis, Commodi probat exemplum, qui legitur ſepties de die laviſſe, & in balneis ſaepius comediſſe, prout idem ſcripſit Lampridius.

Latiſſime autem patuerunt hae Thermae Neronis & Alexandri, teſte Marliano, nimirum a Sancto Euſtachio, ad domum Gregorii Narnienſis, in cujus cella vinaria vidiſſe ſe Marlianus teſtatur, uti & in domibus adjacentibus Thermis Neronis verſus Septemtriones, pavimenta antiqua, & fiſtulas plumbeas, puteumque, quem exſiccare nulla ratione poterant. Et exiſtimavit Marlianus, hunc eſſe

ductum Aquae, quam *Alexandrinam* vocat Lampridius. Palatium autem Gregorii Narnienſis ſitum fuit prope Aream Navonam, proxime Eccleſiam S. Jacobi in Thermis, quae nunc dicitur S. Salvatoris. Apparent quoque harum Thermarum veſtigia, prope Templum S. Ludovici, gentis Gallicae, in aedibus Mediceis ad circum Alexandri ejuſdem, in cujus vicinia fuerunt Thermae Neronis & Alexandri. Occupabant igitur hae Thermae quidquid erat ſpatii, inter Pantheon & plateam Navonam, quo in loco nunc viſuntur Palatia Juſtinianorum, Magnique Ducis Hetruriae, pars item Templi S. Ludovici, & Eccleſiae S. Salvatoris.

BAL-



BALNEA PAULLI.



Alnea isthaec creduntur fuisse in Clivo Quirinali, ubi monasterium nunc est, quod Romanis corrupte dicitur *Bagnana Poli*, quasi dicas, *Balnea Paulli*. Juvenalis (*Sat*. VII. ℣. 211.)

— — aut horas noverit omnes
Tanquam ungues, digitosque suos, ut forte rogatus
Dum petit aut thermas, aut Pauli Balnea, dicat
Nutricem Anchisae.

Notant tamen Docti, in quibusdam MSS. Codicibus hic legi *Phoebi*. Judicent haec alii. Fabricius vero testatur, se hoc in loco vidisse in lapide projecto formam *strigilis* & *ampullae* exsculptam. *Strigilis* usus erat ad fricandum, purgandumque; *ampullis* utebantur ad abluendas aquae infusione sordes. Hoc autem tempore strigilum loco utuntur balneatores Itali *chirothecis*, ex serico factis, ad abstergendum sudorem.

Quis vero sit ille *Paullus*, controvertitur. Quidam existimant, esse *AEmilium Paullum*, qui Basilicam in Foro exstruxit. Alii vero eum *Paullum* esse suspicantur, qui Romae *Porticum* construxerat, de quo Dion loquitur (*Lib*. XLIX. *prope finem*.) *Porticum, quae Paulli dicitur, AEmilius Lepidus Paullus propriis impensis perfecit, & in Consulatu suo dedicavit.* Qui autem viderit aedificium arcuatum curvatis in hemicyclum, & lateritiis pilis; porro erectum parietibus continuatis, de balneorum conditore nihil certi statuet. Nobiscum certe censet Franciscus Gualdus, Ariminensis, Eques S. Stephani, qui vicinam domum celebri ornavit museo, studiosus rei antiquariae.

Creduntur vero *Balnea Pauli* fuisse, ubi *Palatium* aedificatum est a nobili familia Romana, *Comitum*. Est enim is ferme mos Nobilium Romanorum, ut sibi exstruendorum Palatiorum loca legant, in ruderibus antiquis aedificiorum collapsorum, vel dirutorum.

Monasterium *S. Catharinae Senensis* nunc est situm in una parte horum balneorum. Partem inferiorem invasit *Palatium*, olim *Comitum*, nunc *Grillorum*, ut vult Nardinus. In aedibus vero *Rubertorum* sub monasterio, teste eodem, conspicitur etiamnunc *Porticus subterranea*, cum columnis e latere cocto, in theatri speciem incurva, quo in loco arbitrantur Antiquarii fuisse *partem Balneorum*. Donatus tamen hunc *hemicyclum* aliud quoddam fuisse aedificium autumat. Nardinus autem hucusque non pervenisse censet Balnea Paulli, quae parva forte fuerunt: aut veluti in re dubia, aedificium hoc additum fuisse credit Paulli balneis ad usus alios, quam lavandi; qualia multa thermis addi solebant.

Supra Forum Trajani, in clivo Montis Quirinalis primo occurrit *Turris militiarum*. *Milites Trajani*, quorum illic olim fuit statio, loco huic dedere nomen. Exstant ibidem, aliquanto tamen inferius, fornices concameratione triplici, & crypto-porticus, in forma hemicycli, reddentes a fronte theatralem caveam.

In descensu Clivi, qui ad Viminalem ducit, a dextra, ut scribit Marlianus, ante annos aliquot fuit Sacellum, variorum piscium, concharumque marinarum pictura nobili ornatum. Et haec indicia ostendere putat, locum hunc Neptuno fuisse sacrum.



F O N S

ANTIQVVS, IN FORO ROMANO.




LABRVM FONTIS hujus, excisum ex uno lapide marmoris Graniti, repertum fuit, ut aliqui tradunt, quum terra egereretur, e fundamentis aedis *S. Lucae* & *Martinae*, in Foro Romano, quae olim *Martis* fuit *Templum*, prout nos docet distichon antiquum, quondam inscriptum portae Ecclesiae veteris.

Martyrii gestans virgo Martina coronam,
Ejecto hinc Martis numine, templa tenet.

Quidam referunt, quum *Marforii statua* ex eo, ubi invènta fuit, loco transferretur in Capitolium, tunc quoque repertum fuisse Labrum hoc ingens. Nardinus ergo putat, hanc imaginem Marforii stetisse, in angulo Fori Magni, contra carcerem, in prospectu Lacus Servilii, atque inserviisse usibus Labri hujus; quia fieri non potuerit, ut haec, ceu Rheni Fluminis statua, subjacuerit pedibus Equi Domitiani. Hanc autem statuam Marforii constat, diu jacuisse neglectam humi, in platea vulgo dicta *salita di Marforio*, post Capitolium.

Hoc Labro usi sunt Romani, in restaurando Fonte, qui visitur in Foro Romano, prope rudera Templi Jovis Statoris, ad armentorum & pecorum commodum, & sitim restinguendam, quorum hic frequens est transitus, & mercatus ingens. Patet hoc legentibus Titulum sequentem.

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS.
PVBLICO. NEGOTIANTIVM.
BOARIORVM. VSVI. FORIQVE.
COMMODITATI.
cIↃ. cI. xcIII.
FABRITIO. BVCCAPADVLIO. I. C.
CAMILLO. PLANCA. CORONATO. CONS.
PROSPERO. IACOBATIO. DE. FACHESCHIS.
LAVRENTIO. ALTERIO. PRIORE.



A Q V A
C L A V D I A.

PRimis Urbis Conditae temporibus, per annos cccxli. omnis alius usus aquarum fuit incognitus, auctore Frontino, praeterquam quas vel Tiberis, vel putei, vel fontes suggerebant, uti & Rivus Aquae Mercurii, Lacus Juturnae, Fons Pici & Fauni, aliique minores. Postea vero, crescente luxuria & opibus, subterraneis cuniculis, aut opere arcuato magnam aquarum copiam invexere, non modo ut Fontibus abundaret civitas; sed etiam ut Balneis & Navalibus Ludis copia aquarum ingens suppeteret. Maxime vero influebant hae Aquae prope Portam Naeviam, Viminalem, Latinam & Janiculensem.

Horum operum moliumque magnitudinem ostendit Dionysius Halicarnasseus (*Lib.* III. *cap.* 91.) *Mihi sane*, ait, *magnificentissima videntur, ex quibus maxime apparet amplitudo Romani imperii, aquaeductus, viae stratae, cloacae.* Et haec illa tria sunt, quae mirantur Strabo (*Lib.* V. *in descript. Urbis Romae*) & Cassiodorus. Hujus verba sunt (*Lib.* VII. *Var. Epist.* 6.) *In formis autem Romanis utrumque praecipuum est, ut fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis: Quod enim illuc flumina quasi constructis montibus perducuntur, naturales credas alveos, soliditates saxorum; quando tantus impetus fluminis tot seculis firmiter potuit sustineri.*

Fiebant vero Aquaeductus ratione non una. Interdum enim Arcus molium maximarum surgebant ad altitudinem cxlv. palmorum Romanorum, ab imo fundi solo. Interdum per cuniculos subterraneos longe infra terram ducebantur; prout situs & soli ratio exigebat.

Magnam certe Aquarum vim invectam fuisse moenibus Romanis docet Plinius (*Lib.* XXXVI. *sub fin. cap.* 15.) *Quod si quis*, inquit, *diligentius aestimaverit aquarum abundantiam in publico, balneis, piscinis, domibus, euripis, hortis, suburbanis villis, spatioque advenientis arcus exstructos, montes perfossos, convalles aequatas, fatebitur, nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum.*

Testatur Frontinus (*de Aquaeduct.*) Aquaeductus prope Urbem, *a sexto, nempe, milliario, plures Aquas singulos sustinuisse.* Horum autem fuisse quatuordecim indicat Procopius (*Belli Goth. Lib.* I. *cap.* 16.) *Romae*, inquit, *aquaeductus decem & quatuor numero sunt, cocto ex lapide per priscos homines aedificati, ea latitudine ac simul profunditate, ut equester vir aliquis cum equo per eos superne evadere liberius queat.* Hos autem Belisarius, ne Gothi per eos Urbem invaderent, aedificiis complexus munivit, ac sepsit.

Ex his omnibus tres duntaxat Romae superstites cernuntur Aquaeductus.

I. *Aquae Virginis*, quam instauravit Pius IV. Pont. Max.

II. *Aquae Felicis*, a Sixto V. Romam perductae.

III. *Aquae Sabatinae*, sive *Alsietinae*, restauratae per Paulum V.

Claudiam Aquam (de qua hic loquimur) C. Caligula, inchoatis binis ductibus, a Claudio perfectis, perduxit Romam per millia passuum xlvi, opere subterraneo & arcuato, una cum Aniene novo. Auctor Plinius (*Lib.* XXXVI. *cap.* 15. *sub finem*) *A lapide quadragesimo* (xxxviii. juxta Frontinum) *ad eam excelsitatem, ut in omnes Urbis montes levarentur, influxere Curtius, atque Caeruleus fontes. Erogata in id opus sestertium ter millies* (hoc est, 18750000 florenorum) Suetonius (*Claud. cap.* 20.) *Opera magna potius, quam necessaria quammulta perfecit, sed vel praecipua aquaeductum a Cajo inchoatum.* Et postea (*eod. cap.*) *Claudius aquae gelidos atque uberes fontes, quorum alteri Caeruleo, alteri Curtio, & alteri Albudino nomen est, simulque rivum Anienis, novo & lapideo opere, in Urbem perduxit, divisitque in plurimos & ornatissimos lacus.* Ductus Anienis efficiebat passuum lviii. millia dcc. opere altissimo, qua arcuatim attollebatur.

Cajus Caesar enim, quum cognosceret, non sufficere vii. ductus aquarum civium usibus, & voluptatibus publicis, secundo imperii sui anno exstruxit duos alios Aquaeductus. Hoc autem opus, ut vidimus, magnificentissime absolvit, perfecit, dedicavitque Claudius. Huic vero *Claudiae Aquae* nomen fuit datum, quae ex fontibus Caeruleo & Curtio ducebatur, quae bonitate proxima erat *Martiae.* Di-

ctus hic *Anio novus*, ad *Veteris* discrimen, quem M. Curius & L. Papirius Cursor Censores in Urbem deducendum curarunt, teste Plinio (*Lib.* III. *cap.* 5. *&* 12.) Frontinus (*Lib.* I. *sub initium*) *Post annos* XL. *quam Appia perducta est, anno ab Urbe condita* CCCCLXXXIX. *M. Curius Dentatus, qui Censuram cum L. Papirio gessit, Anienis, qui nunc dicitur Vetus, aquam perducendam in Urbem ex manubiis de Pyrrho captis curavit.* Hi duo rivi Anienis ex ejusdem nominis flumine in Urbem sunt corrivati: vetus tamen humilior, quia propior Urbi. At Claudia, quae secundum obtinebat locum altitudinis, post Anienem, arcubus finitis post hortos Pallantinos (hi autem erant ad S. Eusebium, in colle Exquilino) fistulis cum Aniene novo distribuebatur per Urbem hinc inde. Id vero antequam fieret, partem Aquae suae transferebat in montem Coelium, ad Portam, quae nunc vocatur *Major.*

De hoc Aquaeductu intelligenda sunt haec Suetonii verba (*cap.* 21.) *Caligula*, inquit, *inchoavit Aquaeductum in regione Tiburti, & amphitheatrum juxta Septa: quorum alterum a successore ejus Claudio peractum, omissum alterum est.* Hic Aquaeductus, ut primum intra Urbem pervenit, Portae objiciebatur Naeviae; ut autem liber ad eam esset aditus, in eodem ductu altera e marmore exstructa est Porta.

Ex dictis discimus, triplici nomine notam fuisse *Aquam Claudiam.* Dicebatur quippe *Albudina*, *Curtia*, & *Caerulea.* His demum accessit quartum *Herculana*, quum *Herculaneus rivus*, supra Anienem novum conceptus, & natura purissimus, amissa splendoris sui gratia in Urbe jungeretur Aquae Martiae & Coelium irrigaret Montem.

Concipiebatur autem *Aqua Claudia* Sublacensi via ad milliarium XXXVIII. diverticulo sinistrorsum intra passus CCC. aquarum suarum maximam copiam hauriens, ex quatuor fontibus amplissimis & speciosis, Caeruleo, Curtio, Albudino & rivo Herculaneo. Frontinus porro, a Plinio dissentiens, initium Aquaeductus numerat a lapide XXXVIII. Plinius vero a lapide XL. Hi auctores ita sunt conciliandi, ut dicamus, alterum distantiam intelligere ab eo fonte, qui ab Urbe distaret ulterius, alterum ab eo loco, ubi ambo jungebantur.

Fuit autem Fons Aquae Augustae supplementum Aquae Martiae, quam Augustus perduxit, quoties siccitates ingruerent, a quo etiam haec Aqua fuit denominata. Ejus autem Fons nascebatur ultra Fontem Aquae Martiae, & antequam ad eam accederet, habebat passus DCC. Quia tamen Aqua Martia sufficere sibi videbatur, fons Aquae Augustae derivatus est in Aquam Claudiam. Et nihilominus Aqua Martia praesidiaria Augustae habebatur, Claudiam Aquam adjuvante Augusta.

In eodem Aquaeductu, juxta Nosocomium Lateranense, quo in loco ego hunc Aquaeductum delineavi, haec legebatur Inscriptio sequens, prout id ipsum R. D. Raphaël Fabrettus (*in sua Differt.* I. *de Aquis & Aquaeduct.*) etiam ostendit ex veteri MS. instructissimae Bibliothecae D. Marcelli Severolii.

IMP. CAES. DIVI. M. ANTONINI
PII. GERM. SARM. FILIVS. DIVI. COMMODI
FRATER. DIVI. ANTONINI. PII. NEP. DIVI
HADRIANI. PRONEP. DIVI. TRAIANI
PARTHICI. ABNEP. DIVI. NERVAE. ADNEPOS
L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS
PERTINAX. AVG. ARABIC. ADIAB. PARTHIC
MAX. PONT. MAX. TRIB. POT. VIIII. IMP. XI
COS. II. P. P. PRO. COS. ET

IMP. CAES. L. SEPTIMI. SEVERI. PII
PERTINACIS. AVG. ARABIC. ADIAB
PARTH. MAX. FIL. DIVI. M. ANTONINI
PII. GERM. SARM. NEP. DIVI. ANTONINI
PII. PRONEP. DIVI. HADRIANI. ABNEP. DIVI
TRAIANI. PARTHIC. ET. DIVI. NERVAE. ADNEP
M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS
FELIX. AVG. TRIB. POTEST. IIII. PRO. COS
ARCVS. COELIMONTANOS. PLVRIFARIAM
VETVSTATE. CONLAPSOS. ET. CONRVPTOS
A. SOLO. SVA. PECVNIA. RESTITVERVNT

Aquaeductus Claudiae habebat longitudinem passuum XLV. millium. Ex eo rivo subterraneo passuum XXXV. millium, opere supra terram pass. X. millium. Haec Aqua in Commentariis habebat non plus quinariis II. millibus DCCCLVI. Ad caput Frontinus invenit quinarias IIII. mille DCVII. Ex his extra Urbem dabantur nomine Caesaris CCXVII. Privatis CCCCXXXIX. Intra Urbem hae Aquae cum Aniene Novo jungebantur: & utriusque quinariae dividebantur per Regiones Urbis XIIII. in Castella XCII.

AQVA



AQVA ANTONINIANA.



Qva Antoniniana, brachium Aquae Claudiae, appellatur ab Imperatore Bassiano Caracalla, qui sibi *Antoninorum* nomen assumpserat. Legitur quippe hic Imperator cum patre suo Septimio Severo restaurasse Aquaeductus Neronis, sicuti jam a nobis in Descriptione Aquae Claudiae est ostensum; quoniam Nero hos Aquaeductus perduxerat juxta montem Aventinum, quos Caracalla forte continuaverat usque ad *Thermas suas, quas*, Spartiano teste (*in Caracalla cap. 9.*) *exstruxerat omnium pulcherrimas.*

Prope Portam, ex Tiburtino lapide constructam, quam in icone adjuncta expressimus, legitur NONIANA, litteris lateritiis & majusculis, cujus vocis priores litterae perierunt: aliqui exinde colligunt Aquae hujus denominationem.

Ibidem legitur quoque sequens Inscriptio, litteris vetustate corrosis, supra dictam Portam, cui superstructus postea fuit Aquaeductus hicce, prope AEdem D. Mariae in Dominica, in Monte Coelio.

P. CORNELIVS. P. F. DOLABELLA
C. IVNIVS. C. F. SILANVS. FLAMEN. MARTIAL   CoS
EX. S. C
FACIVNDVM. CVRAVERVNT. IDEMQVE. PROBAVERVNT

Hi duo Consules fuerunt, An. U. C. DCCLXIII. qui fuit annus post Christ. Nat. XIII. Hinc liquet, multo hanc Portam esse vetustiorem ipso Aquaeductu, cui conjuncta fuit postea. Apud Scriptores Veteres nulla hujus Portae fit mentio, cui nimirum usui ac fini fuerat excitata, quamque aedificandam curaverant, & probaverant ex Senatusconsulto Consules, in adducta Inscriptione nominati. Non a vero prorsus alienum est, aedificium hoc quondam fuisse ex Urbanis Portis unam.



b 48



AQVA
NERONIS.



ERO exſtructis arcubus voluit, ut deduceretur Aqua Claudia in Palatium. *Ii directi*, dicit Frontinus (*Lib.* I.) *per Coelium montem, juxta templum D. Claudii terminantur.* Et: *Nero Imperator Claudiam opere arcuato aſſumpſit, exceptam uſque ad templum D. Claudii perduxit, ut inde diſtribueretur.* Caſtella erant ibi, per quae partim ad laevam verſus Aventinum, partim ad dextram verſus Palatinum aqua diſtribuebatur. Hi vero Arcus Neroniani magna ex parte hodie adhuc ſuperſunt, Montem Coelium interſecantes longo tractu. Incipiunt enim Aquae, Claudiae nomine, intra Urbem a Porta Majore, ſecundum hortos Card. Frederici Cornelii per dorſum Coëlii, & procurrunt ad Baſilicam Lateranenſem, & in aedem S. Stephani, cognomine *Rotundam*, quae dicitur fuiſſe templum Claudii. *Modum*, aquae, *quem acceperunt*, ait Frontinus (*dicto loco*) *aut circa ipſum montem Coelium, aut in Palatium, Aventinumque, & in tranſtiberinam regionem dimittunt.* Neronianos autem Arcus Severus, & Caracalla Filius reficiendos curarunt, prout ex vetere lapide obſervavit Marlianus, reperto ad Portam Naeviam, cujus Inſcriptionem jam in Aquae Claudiae enarratione retulimus, ex qua quoque diſcimus *Coelimontanos* fuiſſe appellatos; quum jam ante Aquaeductus omnes Veſpaſianus ac Titus reddita aqua reſtituiſſent. De Claudia Aqua in Aventinum perducta ſcribit Caſſiodorus (*Lib.* VII. *Variar. Form.* 6.) *Claudiam per tantam faſtigii molem ſic ad Aventini caput eſſe perductam, ut cum ibi ex alto lapſa ceciderit, cacumen illud excelſum, quaſi imam vallem irrigare videatur, &c. AEgyptius Nilus certis temporibus creſcens per campos jacentes ſuperducto diluvio aëre ſereno turbulentus exaeſtuat: ſed quanto pulcrius eſt, Claudiam Romanam per tot ſiccas montium ſummitates lavacris ac domibus liquores puriſſimos fiſtularum uberibus emiſiſſe; & ita aequaliter fluere, ut numquam ſe poſſit deſiderata ſubducere.*

Alii paulo aliter haec interpretantur, dicentes: Aquaeductus, qui a Porta Majore ad ſiniſtram per Coelium Montem extenduntur, Neronianos fuiſſe, partemque Aquae Claudiae detuliſſe. Hac autem in re Frontinum auctorem ſequuntur. Verba ejus ſunt: *Finiuntur Arcus eorum* (Claudiae & Anienis) *poſt hortos Pallantianos, unde in uſum Urbis fiſtulis deducuntur, partem tamen ſui Claudia prius in Arcus, vocantur Neroniani, ad ſpem* (*ſpeciem* in alio MS.) *Veterem, transfert: ii directi per Coelium Montem, juxta Templum Divi Claudii terminantur.* Ex his autem Frontini verbis colligunt: falſam eſſe diviſionem Aquae Claudiae, quaſi unus ductus e Coelio in Capitolium, alter in Aventinum tenderet. Verum hi ſubdiviſionem pro prima & ſumma diviſione obtrudere nobis conantur contra Frontinum; partis, nempe, illius, quae transferebatur per Arcus Neronianos, praetermiſſa altera, quae, ut Frontinus ſupra loquitur, *poſt hortos Pallantianos in uſum Urbis fiſtulis deducebatur.*


Eſt hoc prae caeteris admiratione dignum, quod accidit circa Montes Coelium & Aventinum. Hi quidem colles utebantur Martia & Julia. Sed poſtquam Nero Imperator Aquam Claudiam eo tranſtulit, exceptamque opere arcuato uſque ad Templum D. Claudii perduxit, priores aquae non ampliatae, ſed omiſſae ſunt. Caſtella enim nulla adjecit Nero, ſed uſus eſt iiſdem, quorum veterem appellationem retinuit, ſed mutata aqua, quemadmodum hac de re Frontinus loquitur.

Reliquiae horum Aquaeductuum Neronianorum ſuperſunt hodieque, & pergunt ad AEdem SS. Johannis & Pauli, ab AEde S. Stephani.

b. 49



A Q V A
V I R G O.



Grippa in Urbem legitur perduxisse *Aquam Virginem*, ab octavi lapidis diverticulo II. millia passuum via Praenestina, prope Rivum Herculaneum; hunc quippe fugiens hujus Aquae cursus, *Virginis* ei nomen acquisivit, teste Plinio, qui de eadem Aqua haec scribit: (*Lib.* XXXVI. *cap.* 15. *sub finem*) *Agrippa, in aedilitate sua, adjecta Virgine Aqua, caeteris corrivatis, atque emendatis, lacus fecit* DCC. *praeterea salientes* CV. *castella* CXXX. *complura etiam cultu magnifica. Operibus his signa* CCC. *aerea, aut marmorea imposuit. Columnas ex marmore* CCCC. *eaque omnia annuo spatio.* Dion item (*Lib.* LIV.) *Aquam, quae Virgo vocabatur, propriis sumptibus Agrippa adduxit, Augustamque nominavit.* De hac eadem Aqua Frontinus ait (*Lib.* I.) *Idem Agrippa, quum jam tertium Cos. fuisset, C. Sentio & Sp. Lucretio Coss. post annum tertium decimum, quam Juliam deduxerat, Virginem, in agro quoque Lucullano collectam, Romam perduxit. Virgo appellata est: quod quaerentibus aquam militibus puella Virguncula venas quasdam monstravit, quas secuti, qui foderunt, ingentem aquae modum invenerunt. AEdicula fonti apposita hanc virginem pictura ostendit. Concipiebatur Virgo via Collatina, ad milliarium* VIII. *palustribus locis, signino circumjecto, continendarum scaturiginum caussa. Adjuvabatur ex compluribus aliis acquisitionibus. Veniebat per longitudinem pass.* XI. *millium* CV. *Ex eo rivo subterraneo pass.* XI. *millium* DCCCLXV. *Supra terram pass.* MCCXL. *Ex eo, substructione rivorum locis compluribus pass.* DXL. *Opere arcuato pass.* MCCCCV. *Hujus Aquae adscriptus erat modus quinariarum* DCCLII. *Mensura ad caput inveniri non poterat: quoniam ex pluribus, ut diximus, acquisitionibus constabat.* Propterea Frontinus ipsam egit ad milliarium septimum; ubi invenit quinariarum duo millia DIV. amplius, quam in Commentariis, quinariis MCCLII. Exibant extra Urbem quinariae CC. reliquae II. mille CCCIV. dividebantur per regiones VII, VIII, XIV. In castella XVIII. Ex quibus nomine Caesaris quinariae DXLIX. Privatis CCCXXXVIII. Usibus publicis MCCCCXVII. Ex eo muneribus duobus quinariae XXVI. Lacubus XXV. quinariae LXI. Operibus publicis XVI. quinariae MCCCCXXX. Antiquus vero Aquaeductus maximam partem vetustate & injuria temporum collapsus est: & Aqua, quae nunc perfertur in Urbem, concipitur prope Pontem Salarium, ex fonte, seu lacu, qui est in monte vulgo *de Zoie* nominato; & puto, hunc posse colligi ex quibusdam acquisitionibus, ex quibus Frontinus vult, hanc aquam fuisse auctam. In Anonymo IX. seculi a V. Cl. Mabillonio in Analectis edito, memoratur Forma Aquae Virginis prope Obeliscum S. Laurentii in Lucina, seu Aquaeductus cum arcubus, qui jam fracti erant, ut ibidem dicitur, quod sententiae Nardini favet, aquam Virginem has in partes derivantis. Aqua autem Virgo, ut est apud Cassiodorum (*Form. 6. Lib.* VII. *Variar.*) *Ideo sic appellata creditur, quod nullis sordibus polluatur. Nam quum aliae pluviarum nimietate terrena commixtione violentur, haec aërem perpetuo serenum purissime labens unda mentitur.* Etiamnunc haec Aqua Virgo habetur omnium optima, saluberrima & purissima.

Ager autem *Lucullanus*, ubi prius colligebatur, non est alius a *Tusculano.* Sed Luculli nomen accepit, quod is Villam splendidissimam in eo construxisset. Nunc vero *Frascatum* vocant. Hujus vero Aquaeductus, subterraneo rivo perveniens in Campum Martium, attollitur sub colle Hortulorum. In aedibus Abbatis Scarlati invenitur Inscriptio, Lapidi Tiburtino incisa, nomen praeferens Imperatoris Claudii.

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESAR. AVGVSTVS. GERMANICVS
PONTIFEX. MAXIM. TRIB. POTEST. V. IMP. XI. P. P. COS. DESIG. IIII
ARCVS. DVCTVS. AQVAE. VIRGINIS. DISTVRBATOS. PER. C. CAESAREM
A. FVNDAMENTIS. NOVOS. FECIT. AC. RESTITVIT

Non procul ab hoc loco leguntur versus sequentes in marmore quodam.

HVIVS. NYMPHA. LOCI. SACRI. CVSTODIA. FONTIS
DORMIO. DVM. BLANDAE. SENTIO. MVRMVR. AQVAE
PARCE. MEVM. QVISQVIS. TANGIS. CAVA. MARMORA. SOMNVM
RVMPERE. SIVE. BIBAS. SIVE. LAVERE. TACE

Hujus Arcus docet Ovidius partem Campi Martii transiisse (I. *Fast.* ỳ. 463.)

Te quoque lux eadem Turni soror aede recepit,
Hic, ubi Virginea Campus obitur aqua.

Ex his quoque carminibus liquet, Juturnam juxta ejusdem nominis lacum, in quo submersa illi cognomen dedit, habitasse. Hujus lacus aqua est inter salubres, Auctore Varrone (in voce *Nympha Juturna*) *Nympha*, inquit, *Juturna*, *quae juvaret: itaque multi aegroti propter id nomen hinc aquam petere solent.* Id autem hodie fieri videmus e puteo, qui est in AEde *D. Mariae*, cognomine *in Via*, non longe a *Fonte Trivii.*

Nicolaus V. *Aquam Virginem*, multo jam ante dilapsam, Urbi reddidit, nomenque ejus in *Triviam* mutavit. Docet hoc fronti praeposita Inscriptio.

NICOLAVS. V. PONT. MAX.
POST. ILLVSTRATAM. INSIGNIBVS. MONVMENTIS. VRBEM.
DVCTVM. AQVAE. VIRGINIS. VETVSTATE. COLLAPSVM.
SVA. IMPENSA. IN. SPLENDIDIOREM. CVLTVM. RESTITVI.
ORNARIQVE. MANDAVIT.
ANNO. DOMINI. NOSTRI. IESV. CHRISTI. MCCCCLIII.
PONTIFICATVS. SVI. VII.

Sixtus IV. eam quoque restauravit, & amissam rursus Pius IV. recuperavit, ac restituit. Ciacconius (*de gestis Pii.* IV.) *Aquam Saloniam, olim Virgineam appellatam, in Urbem reduxit.*

Nunc fluit per Campum Martium, super arcuatum opus, ex lapide quadrato, deducta primum ex Agro Tusculano, ut ostendimus, per Agrippam; perque viam Collatinam, ut Frontinus scribit, incidit in Praenestinam, ut vult Plinius (*Lib.* XXXI. *cap.* 3. *med.*) Est vero hoc in primis observandum, *Capitula Arcuum Veteris Aquaeductus Virginis* supra terram eminere duntaxat, prout hoc conspicitur in icone illorum nostra.

Solebant vero, qui in arte Gymnastica exercebantur in Campo, abluere sudorem & pulverem hac Aqua, si Ovidio credimus (*Lib.* III. *Fast.*)

Nunc ubi perfusa est oleo labente juventus,
Defessos artus Virgine tingit aqua.

Statius autem eundem usum tribuit Aquae Anienis (*Silv.* I. *Baln. Hetr.* ỳ. 25.)

Quas praeceps Anien, atque exceptura natatus
Virgo juvat.

Plinius vero hoc eam ornat elogio (*Lib.* XXXI. *cap.* 3. *medio*) *Quantum*, inquit, *Virgo tactu*, *tantum praestat Martia haustu.* Significat, hanc bibentibus salubrem, illam vero natantibus & lavantibus esse commodiorem. Fuit autem Aqua Virginis frigidior caeteris, ut Ovidius indicat (III. *de Arte v.* 385.) Hoc quoque legitur Aquaeductui Inscriptum extra Portam, vulgo dictam *del Popolo*, ad eum Fontem, quo villa Julia Aquis Virgineis irrigatur, ex Decreto Julii PP. III.

AQVAM. HANC. QVOD. VIRGO. EST.
NE. TEMERANTO.
SITIMQVE. FISTVLIS. NON. FLVMINE.
POCVLIS. NON. OSCVLO. AVT. VOLIS.
EXTINGVVNTO.

CASTEL-

b 50



CASTELLVM
AQVAE MARCIAE, seu TROPAEA MARII.





AQVAE MARCIAE CASTELLVM offert sese inter *S. Bibianae*, & *S. Eusebii* Templa; via, quae recta a *S. Mariae Majoris* Ecclesia ad *S. Crucis in Hierosolymis* ducit. Sunt autem huic superstructi duo Arcus e lateribus: & fuere in his bina *Tropaea marmorea*, haud multis abhinc annis inde in Capitolium avecta, & translata. Ligorius autem in Paradoxis judicat, aedificium illud fuisse *Castellum Aquarum.* Et certe Donatus censet, *Tropaea Marii* nullo modo illic fuisse, sed pro certo affirmat, fuisse istam molem *Castellum Aquae.* Siquidem, ut ex *Frontino* constat, (*Lib.* I.) *Aqua* tam *Claudia*, quam *Marcia*, effundebatur post hortos Pallantianos, qui fuerunt in Exquiliis.

Plerique tamen ejus sunt sententiae, *Tropaea*, quae hoc in loco steterunt, posita fuisse *Mario*, devictis Cimbris, tum quod jam olim, vicum, qui illic est, *Cimbrium* nominarint, teste Petrarcha; tum quod Arcus isti triumphales, tam simplici ornatu, perquam egregie Marianis respondeant temporibus. Suetonius (*Caes. cap.* 11.) *Caesar*, inquit, *tropaea C. Marii de Jugurtha, deque Cimbris, atque Teutonis, olim a Sylla disjecta, restituit.* Objiciunt: Tropaea Marii de Cimbris jam olim in Capitolio fuisse erecta; sed hoc non esse verum, docet Plutarchus, qui sola illa de Jugurtha Tropaea a Boccho Rege Numidarum in Capitolio posita, refert.

Castellum autem *Aquae Marciae* hic fuisse, non est dubium. Transierunt per hoc *Castellum* tres Aquae, *Julia*, *Tepula* & *Marcia*, uti vulgo creditur, quae rursus illinc derivabantur per Urbem, ut liquet manifeste ex quinque foraminibus, etiam hodie illic conspiciendis: usque adeo hujus Aquae divisio in plura, & praecipue Tria Capita, in hujus Castelli ruderibus est non dubia.

Castellum in Aquaeductibus quid sit, optime docet Ulpianus (*l.* 1. §. 39. *hoc inter dictum ff. de aqua cott. tid. & aestiva.*) *Castellum*, inquit, *est receptaculum, quod Aquam publicam suscipit.* Usus Castellorum hic erat. Quum Ductus Aquarum ad divortia viarum, vel regionum essent perducti, Castella in Formarum summitate exstruebantur, ex quibus Aqua distribuebatur a Castellario per digitos, uncias & modulos, aedificiis privatorum, & operibus, muneribusque publicis. *Castellarius* igitur vocatur *Custos Castelli Aquarum.* Ostendit id sequens Inscriptio.

D . M
CLEMETI. CAESAR
VM. N. SERVO. CASTE
LLARIO. AQVAE. CL
AVDIAE. FECIT. CLAV
DIA. SABBATHIS. ET. SI
BI. ET. SVIS

Tropaea Romae pluribus in locis erant. *Valerius* autem *Maximus* duo Marii fuisse Tropaea scribit (*Lib.* II. *cap.* 2. *exempl.* 3.) *Tropaeum* porro dicebatur *Saxum*; aut *Arbor*, ramis decisis; aut *Arcus*, aut *Columna*, cum quadam in Victoris laudem Inscriptione. Suetonius (*Calig. cap.* 45.) *Truncatis arboribus, & in modum Tropaeorum adornatis.* Plutarchus conqueritur; *imprudenter simul, & aspere nimis egisse primos ex Graecis, qui Tropaea, aut marmore incisa, aut aere sculpta facientes, odium simul &*

bellum a conservata victi ignominia, perpetuum reddidissent. Figebantur tropaea locis eminentibus. Sallustius, de Pompejo (*in Fragmentis incertis*) *Devictis Hispanis Tropaea in Pyreneis jugis constituit.*

Tropaei autem significatio, juxta Varronem, haec est. Hostium fuga Graece dicitur Τροπὴ; a τρέπω *verto*, quod ibidem loci erigebantur, ubi hostes primum terga vertere coeperant. Hinc *spolia capta* fixa stipitibus appellantur *Tropaea* vel corrupte *Trophaea*; utroque enim modo scriptum reperitur.

Caeterum *Tropaea*, quorum modo mentionem fecimus, quaeque conjiciuntur, *Mario* fuisse posita, non sunt illius, sed *Trajano*, propter victorias a Dacis reportatas, erecta. Et haec quidem D. Bellorii certa est sententia, argumentis ex ratione artis statuariae desumptis, quae plane respondet temporibus Caesaris hujus. Et sane in Columna Imperatoris hujus conspiciuntur non alterius formae clypei, galeae, loricae, gladii, aliaque instrumenta militaria, atque quibus Trajanus cernitur usus fuisse in Bello Dacico. Et nec ipse a vero prorsus alienum existimaverim, *Aquae Marciae Castellum* hocce a Trajano fuisse auctum & ornatum, qui & isthaec ornamenta poni, atque fieri in eo jusserit, Frontino teste. Montefauconius tamen in his dissentit a D. Bellorio, cujus hae sunt observationes. *Eodem itinere visitur Castellum Aquae Marciae semirutum, a cujus fronte Tropaea Marii olim sita, ut ex ipsis Tropaeis, quae ibidem erecta proximis seculis erant, atque ex remotissima traditione discimus. Qua de re haud leves exortae controversiae, & ad hos poene dies productae.* At rem probe tenentibus nihil loci controversiis, ac quaestionibus. Tropaea istic fuisse, nemo inficias eat. Ea autem ipsa fuisse, quae C. Mario de Cimbris & Teutonibus erecta sunt, haud minus certum; nam a multis jam seculis locus *Cimbrum* vocatur. Rem aperte testatur Anonymus XIII. seculi. Sic ille habet. *In Exquilino monte fuit templum Marii, quod nunc vocatur Cimbrum, eo quod vicit Cimbros. Licet enim*, pergit Montefauconius, *imperite Templum Marii istic constituat, quia fortasse, ut nugax erat, Castrum Aquae Marciae pro templo habuit, nihilo minoris est momenti, ad Tropaea Cimbrica ibidem reponenda:* quod item Petrarcha confirmat, longe melioris notae scriptor. Hinc est, quod, a multis retro seculis, Ecclesia S. Eusebii proxime sita *ad Cimbrum* vocetur, a *Tropaeis* nempe *Cimbricis*.

FINIS TOMI SECVNDI.

INDEX EFFIGIERVM,

Ut Operi inferantur e regione Titulorum a Bibliopego.

Effigies fecundi Tomi omnes Notam habent Lit. *b*

TOMVS II.

RELIQVIAE
ANTIQVAE
VRBIS ROMAE,

Quarum ſingulas

INNOCENTIO XI. ALEXANDRO VIII. & INNOCENTIO XII.
PP. MM.

diligentiſſime perſcrutatus eſt, ad vivum delineavit,
dimenſus eſt, deſcripſit, atque in aes incidit


BONAVENTVRA AB OVERBEKE.

OPVS POSTVMVM


MICHAEL AB OVERBEKE

ſuis ſumptibus edi curavit.

TOMVS III.



AMSTELAEDAMI
excudit IOANNES CRELLIVS. Anno cIↃ IↃcc viii.
CVM PRIVILEGIO.



P O N S

HORATII, SVBLICIVS, HERCVLIS, SACER, AEMILII LEPIDI.

DE *Ponte Sacro* ac *Sublicio* Epicadus, Syllae libertus, apud Macrobium (*Lib.I.cap.* 11.) scribit: Herculem primum fuisse Pontis hujus structorem; Et *Sacrum* postea fuisse denominatum, Dionysius refert (*Lib.* III. *cap.* 58.) Exstruxerat illum Hercules ad tempus, quum victor, interfecto Geryone, per Italiam armenta duceret. Fuit autem parte ea, qua Ancus Martius postea exstruxit *Pontem Sublicium*, perpetuo mansurum, quamvis totus esset ligneus. Nam contignatione ita erat conjunctus, sine clavo ferreo, & sine fulturis, ut belli tempore trabes eximerentur, & rursus reponerentur.

Pontem Sublicium hunc *Lapideum* postea fecisse narrant AEmilium Lepidum Praetorem, nomenque exinde habuisse *Pontis AEmilii, Lepidive.* Antoninus Imp. (*in Itiner.*) *Post iterum*, inquit, *unus effectus per Pontem Lepidi, qui nunc abusive Lapideus dicitur.* Tiberius Pontem hunc, Tiberinis fluctibus fractum, restituit. Tacitus vero commemorat (*Hist.* I. *cap.* 86. *n.* 3.) Othone imperante, inundatione subita, ruptum rursus fuisse. Et Julius Capitolinus (*in Anton. Pio cap.* 8.) auctor est; ab Antonino Pio iterum fuisse refectum.

Hic ille Pons est, de quo Livius (*Lib.* II. *cap.* 10.) refert, quod in illo Horatius Cocles, civis Romanus, & vir fortissimus, tamdiu unus sustinuerit impetum Hetruscorum irrumpentium, donec Romani Pontem rupissent post illum; quo peracto, armatus praecipitem se dejecit in Tiberim, evasitque incolumis, & ad suos pervenit. Retulit autem a Senatu Populoque Romano hoc praemium, ut publice illi erigeretur statua in Comitio; dederuntque illi tantum agri, quantum uno die circumaraverat. Sacer hic Pons habitus est ab eo tempore, quo ab Horatio tam fortiter fuerat defensus. Plinius (*Lib.* XXXIV. *cap.* 4.) Et quia clavis confixus aegre solvi potuerat, idcirco postea nullo ferro eum transfigi licuit: neque enim tum rursus solvebantur ejus contignationes, ut antea. Plinius (*Lib.* XXXVI. *cap.* 15. *in init.*) *Romae sine ferreo clavo Pontem Sublicium religiose fieri, postquam Horatio Coclite defendente aegre revulsus est.*

Hunc Pontem, ut diximus, ad Janiculum montem ducentem, in adversam Tiberis ripam, Ancus Martius Rex fecit. Dionysius (*Lib.* III. *cap.* 58.) *Sublicium Pontem mere ligneum, cui compingendo nefas est, quidquam ferri aerisve addere, ille imposuisse Tiberi dicitur, quique superest & sacer habetur ab omnibus. Quod si qua pars ejus sarcienda est, id Pontifices curant, non sine solemni sacrificio.* Hujus enim Pontis cura Pontificibus demandata erat. Varro (*Lib.* IV.) *Pontifices, ut Q. Scaevola Pont. Max. dicebat, a posse & facere. Pontifices ego a Ponte arbitror: nam ab his Sublicius est factus primum, & restitutus saepe, cum ideo sacra & uls & cis Tiberim non mediocri ritu fiant.* Si Ovidio, ut infra dicetur, credimus, qui *roboreum* vocat, ipso quoque Augusti aevo fuit *ligneus.* Postea tamen, incertum quando, constructus est ex solido marmore, unde & aliquando *Pons Marmoratus* dictus legitur. Antoninus autem marmoreum fecisse fertur, vel potius instaurasse. Volunt enim ex Livio constare, AEmilium Lepidum ex marmore primum construxisse eum. Hoc autem intelligendum esse censet Nardinus, vel de AEmilio Lepido, qui Pontifex Maximus fuit & Triumvir cum Augusto; vel de alio AEmilio Lepido, qui sub Augusto Censor fuit cum Munatio Planco. Res haec tanto incertior est, quod nomen *Sublicii Pontis*, numquam amiserit, ne quidem quum jam factus esset marmoreus totus, teste Marliano. Sed & M. AEmilius Scaurus refecisse hunc Pontem dicitur, Olao Borrichio notante.

Inter Romanae autem Urbis Pontes, hic est omnium primus, & antiquissimus; at hodie omnino nullus. Fundamenta ejus etiamnunc apparent, in alveo fluminis, parum supra Navalia, ex saxis ingentibus & marmoreis. Et caussa nulla est, cur non credamus, haec eadem esse Pontis hujus vestigia,

quamvis omnes non consentiant de loco situs illius. Id certum est, stetisse eum ad Aventini radices. Ostendit hoc Appianus, dicens: *Aventinum ascenderat Gracchus, mox inde fugiens per Pontem ligneum, ad alteram fluminis partem evectus est.*

Dicitur vero *Sublicius*, quia *ilex* species est *quercus*, ex qua primum factus erat, & solebat refici. Alii dictum volunt a *Sublicibus* lignis; quia Lingua Volsca trabes magnae, directae ad perpendiculum, *Sublices* dicuntur. Et ideo Caesar, in Pontis supra Rhenum constructione, dicit (IV. *de Bello Gall. cap.* 4.) *se tigna posuisse non Sublice modo directa, sed prona.*


Mos fuit solemnis ad d. xv. sive Eidus Majas, *Argeos* in Tiberim jacere. Docet hoc Ovidius (V. *Fast. v.* 621.)

Tum quoque priscorum virgo simulacra virorum
Mittere roboreo scirpea ponte solet.

De hoc ritu Varro loquitur. *Argei fiunt e scirpeis virgultis: simulacra sunt hominum triginta, & quotannis a Ponte Sublicio a Sacerdotibus publice jaci solent in Tiberim.* Fuit, uti fertur, institutum Herculis, qui hoc invenit, pro hominibus vivis, antehac in flumen dejici solitis, teste Dionysio (*Lib.* I. *cap.* 38.) Macrobius autem (*Lib.* I. *Saturn. cap.* 7.) scribit: Herculem hunc ritum Pelasgis tradidisse, qui eo tempore incolebant loca *Lacui Cutyliensi* vicina; & ab iis hanc caerimoniam ad Romanos pervenisse. Per virgines autem Vestales id fieri solitum auctor post Ovidium est Festus. *Argeos*, inquit, *vocabant scirpeas effigies, quae per Virgines Vestales annis singulis jaciebantur in Tiberim.*

PONS





PONS SENATORIVS, PALATINVS, nunc S. MARIAE AEGYPTIACAE.



PONS SENATORVM nomen accepit a Senatoribus, qui hunc Pontem tranſibant ad conſulendos Libros Sibyllinos, quo tempore Libri Vatum iſtarum ſervabantur in Monte Janiculo. Dicitur & *Palatinus*, a propinquo Monte Palatino.

M. Fulvius Cenſor hunc Pontem primus Tiberi impoſuit, poſt aedificationem Pontis Sublicii. Livius (*Lib.* XL. *cap.* 51.) *M. Fulvius plura, & majoris locavit uſus: portum & pilas Pontis in Tiberim, quibus pilis fornices poſt aliquot annos P. Scipio Africanus, & L. Mummius Cenſores locaverunt imponendos.*

Fuit hic Pons major caeteris ad palmos circiter quingentos; fornices habuit ſex, pilas quinque. Sed tanto facilius fuit dejectus, quod aquam cum impetu defluentem duabus partibus ex Inſula excipiebat. Ignoratur certum tempus quando id acciderit.

Nomen ejus hodiernum eſt *Pons S. Mariae*, vel quod proxima illi adjacet aedicula *S. Mariae AEgyptiacae*; ut communis vult opinio; vel ab imagine B. Virginis, clara miraculis, quae ſacellum habuit ſuum in Ponte medio.


Pontem hunc ruptum reſtituendum cenſuit Julius III. atque iterum magna ex parte Gregorius XIII. ſub initium anni Secularis M D LXXV. manentibus etiam Fornicibus ad ripam utramque. Verum Tiberi, ut numquam ante, inundante Anno M D XCVIII. ruptus iterum verſus oram Palatinam, ad uſum nondum inſtauratus fuit.

Hujus ultimae reparationis monumentum etiamnunc viſitur in Tabula marmorea, his verbis.

EX. AVCTORITATE. GREGORII. XIII.
PONTIF. MAXIMI.
S. P. Q. R.
PONTEM. SENATORIVM. CVIVS. FORNICES.
VETVSTATE. COLLAPSOS. ET. IAM. PRIDEM.
REFECTOS. FLVMINIS. IMPETVS. DENVO.
DEIECERAT. IN. PRISTINAM. FIRMITATEM.
AC. PVLCHRITVDINEM. RESTITVIT.
ANNO. IVBILÆI. M. D. LXXV.

Deſideranti cognoſcere harum reparationum ſolemnia adeundus erit Philippus Bonanni S. J. in Numiſmatibus Gregorii XIII. Tom. I.





P O N S
E X Q V I L I N V S, C E S T I V S,
nunc S. B A R T H O L O M A E I.

Exqvilinvs Pons dicitur, qui ex *Insula Tiberina* versus *Transtiberinam Regionem* tendit. Factus est forma Arcus Triumphalis, ingenti in medio fornice, & ab utraque parte multo minore.

Dicitur & *Cestius*, a conditore ejus *C. Cestio*, quem Plinius (*Lib.* X. *cap.* 43.) & cum eo Tacitus (*Lib.* VI. *Ann. cap.* 31.) affirmant, Consulem fuisse cum M. Servilio Rufo. Fuit hic annus aerae Christianae xxxv. sub Tiberio. Habuit is Patrem Cestium Senatorem, qui, Tiberio impellente, accusavit Minutium Thermum, uti scribit Tacitus. (*Lib. eodem, Ann. cap.* 7.) Et potuit hic quoque fuisse Curator Pontis hujus.

Pons hic nunc vocatur S. Bartholomaei, ab Ecclesia Sancti hujus, in hac Insula exstructa.

In hanc Insulam deportari solebant altioris fastigii, & dignitatis homines, capitis damnati, e decreto Tiberii. Priusquam autem traderentur carnifici, relinquebantur illic mensem integrum. Docet haec nos Sidonius (*Lib.* I. *Ep.* 7.) ubi de Arvando Praefecto loquitur. *Sed ut judicio, per hebdomadem duplicem comperendinato, capite multatus, in Insulam conjectus est Serpentis Epidaurii, ubi usque ad inimicorum dolorem devenustatus, & a rebus humanis, veluti vomitu Fortunae nauseantis, exsputus, nunc ex vetere Senatusconsulto Tiberiano, triginta dierum vitam post sententiam trahit, uncum, & Gemonias, & laqueum, per horam turbulenti carnificis horrescens.*

Hunc Pontem instaurarunt itidem Valentinianus, Valens & Gratianus, uti patet ex marmoribus ad laevam, dextramque partem cum his Inscriptionibus collocatis.


DOMINI . NOSTRI . IMPERATORES . CAESARES
FL. VALENTINIANVS. PIVS. FELIX. MAXIMVS. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS ⏀
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. P. ET ⏀
FL. VALENS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS ⏀
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. P. ET ⏀
FL. GRATIANVS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS ⏀
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. III. IMP. II. CONS. PRIMVM. P. P. P ⏀
PONTEM. FELICIS. NOMINIS. GRATIANI. IN. VSVM. SENATVS. AC. POPVLI. ROM. CONSTITVI. DEDICARIQVE. IVSSERVNT ⏀

Hoc eodem in Ponte incisa leguntur alio in lapide sequentia.

..ENEDICTVS. ALME
VRBIS. SVMMᵒ SENATO
R. RESTAVRAVIT. HVN
C. PONTEM. FERE. DIRV
TVM

Ipse ego, Romae degens, ex lapide Pontis hujus haec descripsi, quia non optima fide descripta ab aliis legeram. Mensus quoque fui hunc Pontem, reperique, longum esse passibus LXIII. latum vero XII.





PONS
TARPEIVS, FABRICIVS, nunc QVATVOR CAPITVM.



PONS TARPEIVS dicitur a *Tarpeja rupe* vicina.

FABRICIVS hic *Pons* Urbi connectit Insulam. Dicitur ita a *L. Fabricio*, qui faciendum eum curaverat. Et significat id ipsum Titulus, qui exsculptus exstat in arcubus Pontis. Licet autem hic Titulus legatur in Fornice utroque; in altero tamen Consulum duntaxat nomina, qui id opus probavere, sunt expressa.

L. FABRICIVS. C. F. CVR. VIAR
FACIVNDVM. COERAVIT

IDEMQVE
PROBAVIT

Q. LEPIDVS. M'. F. M. LOLLIVS. M. F. COS. EX. S. C. PROBAVERVNT

Horatius hujus Pontis mentionem facit his verbis (*Lib.* II. *Sat.* 3. ℣. 36.)

Atque a Fabricio non tristem Ponte reverti.


De eodem Dionysius (*Lib.* XXXVII. *in fin. ann.* 692.) *Pons quoque lapideus ad Insulam, quae in Tiberi exstat, pertingens exstructus, Fabriciusque dictus est.*

Hodie vocatur *Pons quatuor Capitum*, quia in aditu Pontis a sinistra collocata visuntur simulacra *quadrifrontis Jani*, sive *Termini*.

Habet Fornices duos ingentes. Nardino autem verisimile videtur CCCVI. Fabios Porta Carmentali, per Cestium & hunc Pontem, fuisse egressos, insistentes viam versus, ubi nunc est Theatrum Marcelli, unde transierunt ad Pontes Hetruriam versus. Usus enim Insulae *Lycaoniae* Pontibus indigebat.

Paulus III. hunc Pontem corruptum refecit, ac restituit.

Longus est hic Pons, memet dimetiente, passus LXXVI. Latus autem pass. VIII.



P O N S
IANICVLENSIS, AVRELIVS, RVPTVS, nunc S I X T I.




IANICVLENSIS nomen obtinuit hic Pons a proximo Monte *Janiculo.*

AVRELIVS etiam dicebatur, vel a *Via*, five *Porta Aurelia*; vel, ut alii volunt, ab *Imperatore Aurelio*; vel ab *Aurelio Confule*, qui eum refecerat, ut commodior ei effet tranfitus in hortos fuos, ex adverfa Tiberis parte fitos, ubi nunc Ecclefia eft *S. Pancratii.*

Marlianus, Nardino tefte, hanc Infcriptionem in hoc Ponte quondam inventam & vifam memorat.

IMP. CAES. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. DIVI
NERVÆ. NEPOTIS. TRAIANI. ET. HADRIANI
AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. IMP. IIII.
COS. III. DERESIVS. RVSTICVS. CVRATOR
VALETRIARVM. TYBERIS. ET. CLOACARVM.
VRBIS. R. R. RESTITVIT. SECVNDVM. PRAESI-
DENT. TERMINATIONEM. PROXIMAM. CC.
PP. C. II.

Corrupte tamen effe defcriptam Nardinus cenfet, & in ea corrigit ac reponit notam F. poft vocem PARTHICI. hoc eft *Filii.* Vocem quoque DERESIVS corrigendam exiftimat, confufamque cum Praenomine: Et pro VALETRIARVM reponendum ait: ALVEI ET RIPARVM; uti liquet ex alia, & forfan eadem Infcriptione, fed emendatius defcripta, quam Dempfterus profert *ad Rofin. in Paralip.* (*Lib.* VII. *cap.* 32.) Illic enim legitur inter caetera.

L. MESSIVS. RVSTICVS. CVRATOR. ALVEI. ET. RIPARVM. TIBERIS.

Celebris quondam hic Pons fuit, quod Romani Veteres eum pertranfirent, aufpicia capturi prope fepulcrum Numae Pompilii, fepulti in Monte Janiculo.

Hunc Pontem reftituit iterum Antoninus Pius, & diu ftetit integer, donec Gothorum improba vi disjectus, *Rupti Pontis* nomen obtineret, ufque ad tempora Sixti IV. Is Pontifex Maximus, ut narrat Phoebeus (*in Tractatu de Jubilaeo*) reftituit hunc Pontem magna cura & impenfa a fundamentis ex Tiburtino lapide. Retinetque adhuc *Sixti* nomen, juffu ejufdem Pontificis, uti docent Infcriptiones fequentes.

M CCCC LXXIIII.
QVI. TRANSIS. SIXTI. IV.
BENEFICIO. DEVM. ROGA.
VT. PONT. OPT. MAX.
DIV. VOBIS. SALVET. AC. SOSPITET.
BENEVOLE. QVISQVIS. ES. VBI.
HÆC. PRECATVS. FVERIS.

SIXTVS. IV. PONT. MAX.
AD. VTILITATEM. POPVLI. ROMANI.
PEREGRINÆQVE. MVLTITVDINIS.
AD. IVBILEVM. VENTVRÆ. PONTEM.
HVNC. QVEM. MERITO. RVPTVM. VOCABANT.
A. FVNDAMENTIS. MAGNA. CVRA. ET.
IMPENSA. RESTITVIT.
SIXTVMQVE. DE. SVO. NOMINE. APPELLARI. VOLVIT.
M. CD. LXXV.

Ipsemet Pontifex primum lapidem posuit, cui haec erant insculpta.

SIXTVS. IV. PONT. MAX. FIERI. FECIT. ANNO. DOMINI. M. CD. LXXIII.

Notandum vero, discrepare inter se has Inscriptiones ob annorum notas. Fuit autem incoeptus hic Pons, An. 1473. die 29. Aprilis; & perfectus sub Annum 1479. ex relatione Gregorii de Laude (*in Vaticiniis Beati Joachimi*) Stephanus vero Infessura (*in suis Diariis*) enarrat, quo pacto primi lapidis positio peracta sit Anno 1473. his nempe ritibus.

Anno dicto, die 29. Aprilis, Pontifex Maximus cum comitatu IV. Cardinalium, multorumque Episcoporum, e Palatio petiit Regionem Transtiberinam, Pontemque vulgo *Ruptum* dictum, quem restituere cogitabat. Quumque ad Fluminis imam partem descendisset, posuit, in fundamentis Pontis reficiendi, manibus suis lapidem quadratum, cum hac Inscriptione SIXTVS IV. ut supra, & una quaedam Numismata aurea, effigiem suam praeferentia. Hoc lapide posito Pontem jussit reaedificari, denominarique de nomine suo *Pontem Sixti*, abolito priore *Pontis rupti* nomine, prout ex Inscriptionibus superioribus jam didicimus.

Longus est passus CXLV. Latus. XI.



P O N S
TRIVMPHALIS, ſeu VATICANVS.

SItus eſt inter Pontes, *AElium* & *Aurelium*, diciturque alio nomine *Vaticanus*, quia ducit in Campum & Montem Vaticanum. Fuit autem hic Pons non alium in finem excitatus, quam ut per eum triumphantes Urbem cum pompa ingrederentur, quod & ſoliti erant facere cum praeda, manubiis & captivis; neque per aliam viam Urbem ingredi erat illis licitum. Dicebatur autem propterea etiam *Pons ampliſſimus*, quod ſoli Imperatores cum victore exercitu, hoſtibus devictis, eum tranſirent, petentes Capitolium. Hujus Pontis reliquiae pilae quatuor conſpiciuntur etiamnunc, & ex aqua eminent, e regione noſocomii Sancti Spiritus.

Occaſione autem Pontis hujus, brevem hic apponere deſcriptionem Pompae Triumphalis, peropportunum nobis viſum eſt. Populus, Victorem Triumphantem comitaturus, ſolebat convenire prope Templum Apollinis, ſitum ubi nunc exſtructa eſt Baſilica S. Petri, Principis Apoſtolorum; interea dum in ipſa Urbe adornarentur, uſui futura in ſolemnibus diei hujus. Ex campo igitur Vaticano praecipue progrediebantur Imperator Triumphalis cum ſuo comitatu, omnibus ſervantibus dignitatem ordinis & loci, ſingulis monſtrati, per Pontem Triumphalem, tranſeuntes Arcus Triumphales, Campum Florae, Theatrum Pompeji, & Templum Junonis Reginae, cui nunc nomen eſt *S. Angeli in Piſcaria*, Theatrum item Marcelli. Interdum praeteribant quoque Circum Maximum, pervenientes ad Viam Sacram, uſque ad Gradus Capitolii, a parte poſteriore, quos omnes ſuo ordine aſcendebant, quorum erat, praeſentes adeſſe huic ritui ſolemni. Moris erat, hanc eandem viam pertranſire Pontifices, Augures, Sacerdotes, Magiſtratus, Senatores, milites. Erecta cernebantur ubique tropaea infinita, & praeibant ex more Triumphantis currum captivorum ingens numerus, curruſque onuſti praeda bello capta, adſtante & vidente populi undique adfluentis turba maxima.

Patebant hoc die templa omnia, ornata floribus ac ſertis, contextis ex omnis generis frugibus, ornamentiſque ſupellectilis varii, ſumptuoſiſſimique. Ornatus quoque aedium privatarum non erat ab hoc diverſus, & conſpiciebantur in iis magni pretii tapetes, tabulae pictae, & vaſa pretioſa, publice expoſita. Viae ſtratae erant floribus ac herbis, repletaque odoramentis plurimis. Ubique locorum omnia perſonabant cantu tibicinum, fidium, inſtrumentorumque muſicorum. Quidquid enim valebat, ad excitandum vulgi gaudium, adhibebatur ſumma diligentia. Clamor omnis multitudinis unus erat; *Io triumphe! io triumphe!*

Atque hoc quidem honore, ac praemio afficiebantur a Populo Romano, qui Patriam, Remque Publicam ſibi demeruerant, rebus praeclare contra hoſtes Populi Romani geſtis. Conſulendi ſuper hac re erunt Appianus (*in Punicis & Mithridaticis*) de Scipionis & Pompeji triumphis. Plutarchus (*in Paullo AEmilio*) Joſephus (*de Bello Jud. Lib.* VII. *cap.* 24.) aliique.





P O N S
A E L I V S, H A D R I A N I,
nunc S. A N G E L I.



AElivs dicitur ab AElio Hadriano, a quo excitatus eſt, prope molem ſepulcri ſui. Spartianus (*cap.* 19.) *Fecit & ſui nominis Pontem, & ſepulcrum juxta Tiberim.* Et nulla alia cauſſa conſtruendi Pontis hujus commoda ſatis adfertur, niſi ut tranſeuntes per ipſum propius ſpectarent, & admirarentur molem Mauſolei hujus. Dion (*Lib.* LXIX. in vita Hadriani *prope finem*) *Sepultus eſt juxta flumen ad Pontem AElium, ubi monumentum fecerat, propterea quod Auguſti Mauſoleum plenum erat, in quo nemo amplius ſepultus eſt.*

Hunc Pontem vel bellorum vi, vel injuria temporum dirutum, Clemens VIII. Anno 1598. refici curavit. Urbanus deinde VIII. extrema laxamenta Arcuum aperuit, egeſta humo.

Clemens VII. in ingreſſu Pontis poſuit duo marmorea ſigna Divorum Petri & Pauli. Lorenzettus ſculptor fecit ſtatuam S. Petri; & Paulus Romanus ſtatuam S. Pauli. Subter pedes Petri leguntur haec verba.

HINC.
HVMILIBVS.
VENIA.

Et in Baſi ipſius.

CLEMENS. VII.
PONT. MAX.
PETRO. ET. PAVLO. APOSTOLIS. VRBIS. PATRONIS.
ANNO. SALVT. HVM. M. D. XXXIV.
PONTIFICATVS. SVI. DECIMO.

Subter pedes Pauli haec verba inciſa legis lapidi.

HINC.
RETRIBVTIO.
SVPERBIS.

In Baſi ſub D. Paulo haec exſtant.

CLEMENS. VII. P. M.
BINIS. HOC. LOCO. SACELLIS. BELLICA. VI.
ET. PARTE. PONTIS. IMPETV. FLVMINIS.
DISIECTIS. AD. RETINENDAM. LOCI. RELIGIONEM.
ORNATVMQVE. HAS. STATVAS.
SVBSTITVIT.

Clemens vero IX. parietibus hinc inde excurrentibus, reſtituit omnia ex Tiburtino lapide, interpoſitis cancellis ferreis. Addidit operis ornamento ſimulacra decem Angelorum, praeferentium Inſtru-

menta Passionis Domini. Exsculpserunt hos Artifices egregii e marmore Pario. Angelum enim Columnam manibus tenentem fecit Antonius Raggius. In ejus Basi legitur.

THRONVS. MEVS. IN. COLVMNA.

Angelum, Velum Veronicae explicantem, Cosmus Fancellus. Ejus symbolum in Basi positum est.

RESPICE. IN. FACIEM. CHRISTI. TVI.

Angelum Clavos ostendentem, Eques Hieronymus Lucenti, his verbis subscriptis.

ADSPICIANT. AD. ME. QVEM. CONFIXERVNT.

Angelum, a quo Crux regitur, Hercules Ferrata. Basis ejus haec habet verba insculpta.

CVIVS. PRINCIPATVS. SVPER. HVMERVM. EIVS,

Angelum, Lanceam habentem, Dominicus Guidus, cum hac Inscriptione.

VVLNERASTI. COR. MEVM.

Angelum, qui Flagellam tenet, Lazarus Morellus, cum hoc Titulo in Basi.

IN. FLAGELLA. PARATVS. SVM.

Angelum, qui Titulum Crucis ostendit, Eques Laurentius Berninus. Ejus dictum in Basi hoc est.

REGNAVIT. A. LIGNO. DEVS.

Angelum, cum Corona spinea, Paulus Naldinus, cum hac subscriptione.

IN. AERVMNA. MEA. MEA. DVM.
CONFIGITVR. SPINA.

Angelum, cum Tunica & Talis, Paulus Naldinus, additis in Basi verbis hisce.

SVPER. VESTEM. MEAM. MISERVNT. SORTEM.

Angelum, Spongiam in Arundine tenentem, Antonius Giorgiettus. Basis talem habet Inscriptionem.

POTAVERVNT. ME. ACETO.


Totum Clementis IX. opus Eques Berninus delineavit, & direxit. Haec reparatio Pontis merito habetur argumentum excelsae mentis Pontificis Restauratoris. Noluit enim permittere, ut operi incideretur aliquod vel nominis sui, vel stemmatis Rospigliosi monumentum: usque adeo gloriam omnem contemptui habuit, humanaque omnia infra se posuit. Nam & mortuo sibi erigi sepulcrum noluit. Abunde tamen hac in parte publico voto, posteritatique gratae, satisfecit Clemens X. hac Inscriptione, posita ad exitum Pontis.

CLEMENTI. IX.
PONT. OPT. MAX.
ÆLIO. PONTE. AD. SANCTI. ANGELI.
ARCEM. ANGELORVM. STATVIS.
REDEMPTIONIS. MYSTERIA. PRÆFERENTIVM. EXSCVLPTO.
ET. EXORNATO.
QVOD. SINE. EIVS. TITVLO.
ET. INSIGNIBVS. OPVS. ABSOLVI.
EX. ANIMI. MODERATIONE. MANDAVERIT.
CLEMENS. X. P. M.
VT. BENEFICENTISSIMI. PRINCIPIS.
MEMORIA. EXSTARET.
POSVIT. ANNO. M. DC. LXXII.

Vocatur autem hodie *Pons S. Angeli.* Narrant enim, quodam pestilentiae tempore, sub Papa Gregorio Magno, Anno 590, Angelum conspicuum sese praebuisse, in summitate Arcis, cui hic Pons est conjunctus: qui & evaginatum gladium recondiderit: fuitque hoc praesagium cessaturae pestilentiae.

Longus hic Pons est pass. CXLII. latus pass. XIV.

INSV-



INSVLA TIBERINA.

INSVLA haec ſita eſt ſupra Pontem Palatinum, ad paſſ. LXXX. De ejus origine haec ſcribit Livius (*Lib.* II. *cap.* 5.) *Ager Tarquiniorum, qui inter Urbem ac Tiberim fuit conſecratus Marti, Martius inde Campus fuit. Forte ibi tum ſeges farris dicitur fuiſſe, matura meſſi, quem Campi fructum quia religioſum erat conſumere, deſectam cum ſtramento ſegetem magna vis hominum ſimul immiſſa corbibus fudere in Tiberim tenui fluentem aqua, ut mediis caloribus ſolet. Ita in vadis haeſitantis frumenti acervos ſediſſe illitos limo, inſulam inde paullatim, & aliis, quae fert temere flumen, eodem invectis factam. Poſtea credo additas moles, manuque adjutum, ut tam eminens area firmaque templis quoque ac porticibus ſuſtinendis eſſet.*

Forma Inſulae biremem praefert, pars ſuperior prorae loco eſt, inferior puppis. Volunt autem, hanc Inſulam in navis formam effictam fuiſſe in memoriam navis, quae ſerpentem, quem fingunt, AEſculapium fuiſſe, Epidauro Romam advexerat. Longitudo ejus conficit ſtadia plus minus duo: latitudo paſſuum eſt quinquaginta. De hac Ovidius (*Lib.* XV. *Metam.* ℣. 739.)

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis;
Inſula nomen habet, laterumque a parte duorum
Porrigit aequales media tellure lacertos.

Tota fuit AEſculapio ſacra, quia in hac ſervabatur ſimulacrum ejus, ex Epidauro advectum. Et fuit in hac Inſula celebre AEſculapii delubrum. Romani vero hunc Deum, juſſu Librorum Sibyllinorum, late graſſantis peſtilentiae cauſſâ, Legatis a S. P. Q. R. Epidaurum miſſis, acciverunt. Hi pro Deo Serpentem adduxerunt grandiuſculum, qui nave relicta in Inſulam aſcendit, & templo cultus fuit, & alimentis publice altus. Docet id ipſum Plinius (*Lib.* XXIX. *cap.* 4. *med.*) *Atqui anguis AEſculapius Romam advectus eſt, vulgoque paſcitur & in domibus.* Memoriae ejus rei cauſſâ navis etiam, ex lapide Thaſio ſculpta, in ejuſdem Inſulae puppi collocata fuit, quae etiam hodie viſitur; & in altero ejus latere ſerpentis ſimulacrum.

AEdes Dei hujus poſita fuerat, ubi nunc D. Bartholomaei templum eſt. Hujus meminit Feſtus (*Lib.* IX. in vocibus, *in Inſula*) *In Inſula AEſculapio facta fuit aedes, quod aegroti a Medicis aqua maxime ſuſtententur. Ejuſdem eſſe tutelae Draconem ajunt, quod vigilantiſſimum ſit animal: quae res ad tuendam valetudinem aegroti maxima eſt. Canes adhibentur ejus templo, quod is uberibus canis ſit nutritus. Bacillum habet nodoſum, quod difficultatem ſignificat artis. Laurea coronatur, quod ea arbor plurimorum ſit remediorum. Huic gallinae immolabantur.* Legitur etiam in hoc templo exſtitiſſe carmine Graeco remedium adverſus venena, quo Rex Antiochus uti fuerat ſolitus, prout notat Plinius (*Lib.* XX. *cap.* 24. *ult.*) ubi & deſcripſit ſententiam carminis. Sunt qui exiſtimant, ideo aedem hanc in Inſula fuiſſe exſtructam, quod fluxu motuque aquarum aër fiat ſalubrior: caeteroquin extra Urbem fuiſſe quondam poſitam Dei hujus aedem. Diſcimus hoc ex Plinii verbis (*Lib.* XXIX. *cap.* 1. *med.*) *Ideo,* inquit, *Romani templum AEſculapii, etiam quum reciperetur is Deus, extra Urbem feciſſe, iterumque in Inſula traduntur.* Lucretius Praetor legitur hoc Templum exornaviſſe tabulis pictis, ex praeda. Livius (*Lib.* XLIII. *cap.* 4.) *Tabulis quoque pictis ex praeda fanum AEſculapii exornavit.*

In hac Infula fuit etiam *Jovis Templum*, prope AEfculapii. Ovidius (*Lib.* I. *Faft. v.* 289.)

Quod tamen ex ipfis licuit mihi difcere Faftis;
Sacravere Patres hac duo templa die.
Accepit Phaebo Nymphaque Coronide natum
Infula, dividua quam premit amnis aqua
Jupiter in parte eft. cepit locus unus utrumque:
Junctaque funt magno templa nepotis avo.

Dedicaverat hoc Jovis Templum C. Servilius Duumvir, ex voto locatum fex annis ante a L. Furio Purpurione Praetore, & ab eodem Confule. Fuit hoc Jovis Templum, ut aliqui putant, ubi nunc D. Joannis Baptiftae eft Ecclefia.

In prora hujus Infulae fuit & *AEdes Fauni*, cujus veftigia adhuc fuperfunt. Meminit ejus Vitruvius (*Lib.* III. *cap.* 1.) *Proftyli exemplar eft in Infula Tiberina, in aede Jovis & Fauni.* Ovidius (*Lib.* II. *Faft.* ℣. 193.)

Idibus agreftis fumant altaria Fauni,
Hic, ubi difcretas Infula rumpit aquas.


In Infula hac fuit etiam Statua Julii Caefaris, *quae*, ut fcribit Tacitus (*Hift.* I. *cap.* 86. §. 2.) *fereno & immoto die converfa eft ab Occidente in Orientem fponte fua.* Eodem in loco Simoni Mago Statuam Ethnici pofuerunt, ut narrat Eufebius (*Ecclef. Hiftor. Lib.* II. *cap.* 12.) Illa autem vetus Infcriptio, quam hic inter rudera repertam fuiffe fcribit Baronius,

SEMONI
SANCO
DEO. FIDIO
SACRVM
SEX. POMPEIVS. SP. F
COL. MVSSIANVS
QVINQVENNALIS
DECVR
BIDENTALIS
DONVM. DEDIT

loquitur non de Simone Mago, fed de *Semone*, cui & *Sanci*, & *Dei-fidii* nomen, Gentilium Deorum aliquo. De ara & ftatua Simoni Mago erecta, res eft incertiffima, fi non fabula. Caeterum legendus erit, de toto hoc negotio, Oudano-Ouzelianus Thefaurus; uti & Antonius van Dale (*Differt. peculiari, poft Differt. de Oraculis, in quarto.*)

In Hortis Fratrum S. Bartholomaei vifuntur hodieque complures lapides majores prorae Infulae hujus: in quorum uno exfculptus cernitur *Serpens.*

VESTI-



VESTIGIA
HORREORVM AD RIPAM TIBERIS.



ORREA ANICETI, quorum meminit Victor (*in Reg.* XII. *sive Aventino monte*) item *Varganteji*, & *Domitiani*, si modo vere ulla unquam fuerunt, in nulla parte Urbis verius exstiterunt, quam in hac, ubi naves e *Sardinia* & *Sicilia*, (quae Insulae vulgo *horrea Urbis* dicebantur) itemque ex *Attica* & *AEgypto* solebant appelli. Et sane alia in hac Urbis Regione planities nulla fuit, quam haec, ad flumen; at vero in Aventini collis locis editis horrea aedificata fuisse, dicere, dementiae fuerit.

Neque tamen valde repugnarem, horrea isthaec etiam aliis mercibus condendis inserviisse. Erant enim & *horrea*, in quae aurum, argentum, gemmae, & pretiosa quaeque a civibus deponebantur, timentibus nimirum, ne domi furto auferrentur. Deferebantur vero hae res in horrea, soluta pensione periculo suscipientium. Auctor Labeo (*in l.* 60. *cum in plures*, §. 6. *locator. ff. Locat. conduct.*) *Locator*, inquit, *horrei propositum habuit, se aurum, argentum, margaritam non recipere suo periculo; deinde cum sciret, has res inferri, passus est proinde eum futurum tibi obligatum, ac si propositum fuit remissum, videtur.* Praeter frumentaria, erant & olearia, & mercium quarumvis.

Inscriptio vetus meminit *Fortunae Horreorum Galbianorum* & *Conservatricis*, uti & *Genii* eorundem, cujus mentionem quoque facit Victor. Descripsit eam Panvinius, his verbis.

NVM. DOM. AVG
SACRVM
GENIO. CONSERVATO
RI. HORREORVM. GAL
BIANORVM
M. LORINVS
FORTVNATVS
MAGISTER
S. P. D. D

NVM. DOM. AVG
SACRVM
FORTVNAE. CONSER
VATRICI. HORREOR
GALBIANORVM
M. LORINVS. FORTVNA
TVS. MAGISTER
S. P. D. D

Pancirollus censet Horrea isthaec non *Galbae* fuisse, sed *Galbionis:* verum Nardinus regerit, si a *Galbione* dicerentur, scribendum fuisse *Galbioniorum*, non *Galbianorum.* Et vitiosa foret lectio Notitiae, ubi habetur *Horrea Galbae.* Fulvius vero & Marlianus testantur, in vinea Marcelli Capizuchi Inscriptiones has fuisse inventas. Haec autem erat in planitie Montis Testacei. Sed & in alia ejusdem planitiei vinea conspicitur *Frons AEdificii majoris.* Nardinus suspicatur, superesse hoc ex horreo aliquo grandiore, vel ex conjunctis tabernis pluribus, quod conjici posse putat ex pluribus januis fenestrisque, quae in hoc aedificio etiam nunc videntur.

Idem Nardinus arbitratur, in hac eadem Aventini parte fuisse quoque *Forum Pistorium*, quod a P. Victore in hac regione collocatur. Etenim in praeruptis locis collis, & altioribus nullus est locus Foro commodus. Pistoribus item cum Horreis bene convenit, ut frumentum habeant usibus suis paratum. Inchoaverat hoc Forum Domitianus, Trajanus vero tandem absolvit, qui & primus *Pistorum Collegium* instituit. Conjecturae huic favent haec verba Sexti Aurelii Victoris. *Romae a Domitiano coepta Fora, atque alia multa magnifice coluit, ornavitque, & annonae perpetuae mire consultum, reperto, firmatoque Pistorum Collegio.*

Statuam P. Minucio Augurino, Praefecto Annonae, positam fuisse prope horrea perquam verisimile videtur. De hac Plinius (*Lib.* XVIII. *cap.* 3. *med.*) *Minucius Augurinus, qui Sp. Melium coarguerat, farris pretium in trinis nundinis ad assem redegit, undecimus plebei Tribunus: qua de caussa statua ei extra Portam Trigeminam a Populo stipe collata statuta est.* Idem (*Lib.* XXXIV. *cap.* 5.) *P. Minucio Praefecto annonae extra Portam Trigeminam unciaria stipe collata, nescio an primo honore tali a Populo, antea enim a Senatu erat.* Nardinus hic loqui Plinium existimat *de columna, cui statua superimposita fuerit*, non autem, de *statua communi.* Atque hanc sententiam suam firmat Numismate veteri, in quo habet consentientes sibi interpretes Nummorum Consularium.

HORTI





HORTI SALLVSTIANI.

HORTI hi creduntur ipſius fuiſſe C. Criſpi Salluſtii, ſcriptoris Hiſtoriarum. Hic, quum totum poene patrimonium abſumpſiſſet, domumque paternam vendere coactus fuiſſet, ut ſe redimeret ab adulterii crimine, a C. Julio Caeſare Numidiae Praefecturam impetravit. Illic ditiſſimus factus expilatione Provincialium, emit ſibi hortos amoeniſſimos, ſub Quirinali, intra pomoerium ad Collinam Portam, prope Malum Punicum (*Suet. Domit. cap.* 1.) & Villam Tiburti. Hos adeo diligenter ornavit & excoluit, ut Horti Salluſtiani a potentiſſimis Principibus in deliciis ſemper ſint habiti, poſſeſſique primum ab Auguſto, Nerone, aliiſque Principibus. Tacitus (*Lib.* XIII. de Nerone; *cap.* 47.) *Regredienti per Flaminiam, compoſitas inſidias fato evitavit, quoniam diverſo itinere Salluſtianos in hortos remeaverit.* Plinius (*Lib.* VII. *cap.* 16.) narrat, Auguſto vivente, Puſionis & Secundillae cadavera ingentia, decem pedum & trium unciarum, pro miraculo in his hortis fuiſſe ſepulta. Nervam in his hortis fata ſuprema occuparunt, uti ſcribit Euſebius (*in Chronicis.*) Vopiſcus praeterea docet; Aurelianum in his, & Domitiae Hortis perlibenter victitaſſe; & in illis Porticum Milliarenſem exornaſſe. Vopiſci verba ſunt (*cap.* 49.) *Diſplicebat ei, cum eſſet Romae, habitare in Palatio, & magis placebat in hortis Salluſtii, vel Domitiae vivere; Milliarenſem denique Porticum in hortis Salluſtii ornavit, in qua quotidie & equos & ſe defatigabat, quamvis eſſet non bonae valetudinis. Milliarenſem* vocat, quam Suetonius in Nerone *Millenariam.* Salmaſius erudite ad hunc locum id nos docet, dicens: *Milliarenſis eſt millenaria, a millenis ſcilicet columnis; ut centenaria porticus, quam* ἑκατόνστυλον *Graeci; ſic milliarenſe genus nummi a millenario numero dictum, quod Graeci* μιλιαρήσιον *appellant.* Hi Horti itaque in Imperatorum Romanorum bonis habiti ſemper fuere. Diſcimus hoc ab Ulpiano (*in l.* 39. *cum ſervus legatus* §. 8. *ſi vero &c. de Legat.* 1.) *Si vero Salluſtianos hortos, qui ſunt Auguſti, &c. legaverit quis, furioſi eſt talia legata teſtamento adſcribere.*

Victor & Rufus (*in Reg.* VI. *ſive Alta ſemita*) agnoſcunt, *Templum Veneris* fuiſſe in Hortis Salluſtianis, Hoc confirmant duae Inſcriptiones apud Gruterum (*pag.* XXXIX. *n.* 4. *& pag.* CII. *n.* 1.) qui & loca ubi ſunt inventae & ſententiam eorum explicat.

Romae, in hortis Salluſtianis, in pariete vineae Angeli Colotii, quo in loco templi Veneris auguſta veſtigia adhuc exſtant: in baſi plana marm.

M. AVRELIVS. PACORVS
M. COCCEIVS. STRATOCLES
AEDITVI. VENERIS. HORTORVM
SALLVSTIANORVM. BASEM. CVM
PAVIMENTO. MARMORATO
. DEANAE.
.D. ❦ .D.

Romae ad Bellajanos hortos eſt tabula cum Spe, muliere ſtolata, dextra tangens caput columellae, ſiniſtra oſtentans ſpicas quinque & papaverum capita bina. ad caput hinc ſculpuntur ſarcinae colligatae, ad pedes inde alvearium, de cujus faſtigio prominent ſpicae quatuor, roſae duae, caput papaveris unum. in baſi eſt.

M. AVR. PACORVS. AEDI
TVVS. SANCTAE. VENE
RIS. IN. SALVST. HORTIS
SPEI
ARAM. CVM. PAEMENTO
SOMNIO. MONITVS. SVM
TV. SVO. D. D

DEANAE. vox in prima Inſcriptione a Graeco δέαινα confecta eſt, & *Deam* ſignificat, ut Monteſauconius bene hanc vocem interpretatur.

Prope Collinae, ſeu Salariae Portae moenia fuerunt hi horti Salluſtiani, & multa Chriſtianorum ſacra monumenta. Nemo autem dubitat, quin ad Collinam Portam in Quirinali fuerint. Circus enim, cujus hodie veſtigia oſtenduntur, prope Collinam Portam in anguſtiore valle, inter Quirinalem & Pincium, Salluſtii fuit. Obeliſcus Circi hujus, inſignitus notis Hieroglyphicis, viſitur etiamnunc in Hortis Ludoviſianis, qui probabiliter partem faciunt Hortorum Salluſtianorum. Circo autem huic a dextris adhaerebat *Forum Salluſtii;* a ſiniſtris, in clivo Pincii, *Hortus Salluſtianus.*



C 11



M O N S C O E L I V S.


OELIUM MONTEM Tacitus ſcribit, prius *Querquetulanum* appellatum fuiſſe. Verba ejus ſunt: (*Lib.* IV. *An. cap.* 65.) *Haud fuerit abſurdum tradere, montem eum antiquitus Querquetulanum cognominatum fuiſſe, quod talis ſilvae frequens, foecundusque erat, mox Coelium appellatum a Coelio Vibenna, qui dux gentis Hetruſcae, cum auxilium tuliſſet, ſedem eam acceperat a Tarquinio Priſco, ſeu quis alius Regum dedit, nam ſcriptores in eo diſſentiunt, caetera non ambigua ſunt; magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitaviſſe, unde Thuſcum vicum e vocabulo advenarum dictum.* Varro (*de Ling. Latin. Lib.* IV. *ubi de vico Thuſco*) *Dictus eſt autem Coelius a Coelio Vibenno Thuſco duce nobili, qui cum ſua manu dicitur Romulo veniſſe auxilio.* Feſtus refert: *Coelen Romulo auxilium praebuiſſe adverſus Sabinos.* Poſt hujus autem Coelii mortem, quod nimis munita loca inſiderent, & parum fidi crederentur, deducti fuerunt in planum, habueruntque, ut Tacitus ait, *vicum* vulgo *Thuſcum.* Et ideo eodem in loco cultus & poſitus fuit *Vertumnus*, qui Princeps habetur Deus Hetruriae, teſte Varrone dicto loco. Coeliani, qui a perfidiae ſuſpicione erant liberi, tranſlati ſunt in locum, qui *Coeliolus* dicitur, hoc eſt, *Coelius minor*, quia omnino Romae fuerunt duo montes Coelii. Martialis utriuſque meminit, (*Lib.* XII. *epigr.* 18. *ad Juvenalem.*)

Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Major Coelius & minor fatigat.

Coeliolus hic, ſive *Coelicolus* is locus eſt, ubi nunc exſtat Eccleſia D. Joannis Euangeliſtae, quae olim fertur *Dianae aedes* fuiſſe. Hic autem nihil reperitur memorabile, praeter hanc Dianae AEdem, prout teſtatur Cicero (*Orat. de Reſponſis Aruſpicum cap.* 15.) Tiberius autem *Montem Coelium* deinceps vocari juſſit *Auguſtum*, ut docet Suetonius (*Tiber. cap.* 48.) & Tacitus (*Lib.* IV. *An. cap.* 64.) ſcribit, actum in Senatu, *ut mons Coelius deinceps Auguſtus appellaretur, quando deuſto monte, & cunctis circumflagrantibus, ſola Tiberii effigies, ſita in domo Junii Senatoris, inviolata manſiſſet.* Cum etiam Caeſar, teſte Suetonio, dicto loco, *obviam iverat tribuendo pecunias ex modo detrimenti.*

Hunc Montem Tullus Hoſtilius, Tertius Romanorum Rex, Albanis victis, ipſiſque in civitatem tranſlatis, Urbi addidit, pomoerio prolato. Livius (*Lib.* I. *cap.* 30.) *Roma interim creſcit Albae ruinis; duplicatur civium numerus. Coelius additur Urbi mons, &, quo frequentius habitaretur, eandem ſedem Tullus Regiae cepit, ibique deinde habitavit.* Et Dionyſius (*Lib.* III. *cap.* 2.) *At ne ullus ſine domicilio eſſet, eum collem, qui Coelius dicitur, muro communiens, Urbi addidit, ubi quidem quicunque erant ſine laribus Romani, ex eo loco ſortiri quod ſatis eſſet, ſibi aedes conſtruerent, ipſo quoque in eodem colle habitante.*

Fuere in hoc Monte aedificia plurima; ſed in ruinis omnium tanta eſt confuſio, ut nullis propemodum certum aſſignare locum liceat. Notiora pauca notabimus. Fuit hic Curia Hoſtilia, quam primam Tullus Hoſtilius excitavit, ubi nunc D. D. Joannis & Pauli eſt aedes. Teſtis Livius his verbis (*Lib.* I. *cap.* 30.) *Tullus Rex in Coelio monte templum ordini a ſe aucto Curiam fecit, quae Hoſtilia uſque ad Patrum noſtrorum aetatem appellata eſt.* Fuit & altera Curia Hoſtilia, ubi poſtea Templum Pacis fuit.

Non longe hinc, ſub ductu Aquae Claudiae, ſupereſt Caſtellum aquarum, fere integrum. Parietes ejus in ambitu latitudinem habent pedum VI. interius vero III. Operti tectorio craſſitudine digitorum III. Longitudo vero concamerationum pedum XXI. Latitudo non una eſt.

Ubi nunc D. Mariae in Dominica eſt Eccleſia, fuiſſe Manſiones Albanas, ex Sext. Rufi verbis poſſumus conjicere (*in Reg.* II.) Sed Urſinus ad Marlianum id negat, Panvinio tamen Marliani ſententiam confirmante.

Fauni Templum fuit in proximo, forma circulari, multis per ambitum columnis ornatum, id hodie D. Stephano ſacrum eſt.

Plerique praeterea consentiunt, Castra peregrina constituta fuisse ab Augusto, in parte ea montis Coelii, in qua Ecclesia est Sanctorum quatuor Coronatorum, quaeque spectat Carinas.

Domus Lateranorum fuit quoque in hoc Monte, ubi hodie est Basilica D. Joannis Lateranensis. De hac domo loquitur Julius Capitolinus (*in M. Anton. Philos. cap.* 1.) *M. Aurelius educatus est in eo loco, in quo natus est, in domo avi sui, juxta aedes Laterani.* Et Juvenalis, *Sat.* X. ℣. 16.

Clausit, & egregias Lateranorum obsidet aedes
Tota cohors.

Palatium Fl. Constantini dicitur hic etiam fuisse, prope hanc Basilicam, versus Portam Gabiusam.

Sessoriani autem, quod vocatur, Palatium, inter Portam Naeviam & AEdem nunc S. Crucis, fuit olim Veneris & Cupidinis.

Amphitheatri Castrensis & Lateritii operis vestigia conspiciuntur hic in proximo, nunc in ipsis moenibus.

Brutus, qui primus Consul factus est, in hoc Monte Coelio legitur, Templum construxisse Deae Carnae, quae Dea praeest vitalibus humanis, quod idonea esset emendationi publici status.

Suetonius etiam commemorat, Templum Claudii Imperatoris ibidem fuisse coeptum ab Agrippina, sed a Nerone destructum, a Vespasiano tandem perfectum (*Vespas. cap.* 9.)

Fuit & in hoc Monte Coelio domus Mamurrae Formiani, Praefecti fabrûm Caesaris in Gallia, & hanc quidem primam omnium marmoreis crustis ornatam fuisse, scribit Plinius (*Lib.* XXXVI. *cap.* 6.)

Stetit in eodem Monte Domus Claudii Centimali, ut docet Valerius Maximus (*Lib.* VIII. *cap.* 2. *exempl.* 1.) De ea Cicero (*Lib.* III. *de Offic. cap.* 16.) *Cum in arce augurium augures acturi essent, jussissentque, T. Claudium Centimalum, qui aedes in Coelio Monte habebat, demoliri eas, quarum altitudo officeret auspiciis, emit* Calphurnius Lanarius.

Domus Tetricorum, qui fuerunt duo ex triginta tyrannis, *stetit* itidem *in hoc monte longe pulcherrima, inter duos lucos, contra* Isium Metellinum, ut loquitur Trebellius Pollio, in Tetrico Juniore.

Domus Junii Senatoris, ubi, in conflagratione Montis, Tiberii statua manserat illaesa, fuit hic etiam.

T. Claudius Glyptus Hymnologus habuit hic etiam domum suam, prout testatur illius Epitaphium, apud Gruterum (*pag.* DCXLV. *n.* 4.)

TI. CLAVDIO. GLYP
TO. HYMNOLOGO. DE
CAMPO. CAELEMON
TANO. VIXIT. ANNIS
XXV. MESIBVS. VIII. FE
CIT. L. CEIONIVS. MA
GNVS. FILIASTRO
BENE. MERENTI
ET. TI. CLAVDIVS. CHRYSOCON
FRATRI. PIENTISSIMO

Campus Martialis, in quo fiebant Equiria, si aquae Tiberis inundassent Martium Campum, fuit etiam in hoc Monte, ex veteri instituto, uti scribit Festus, & Ovidius his versibus, III. *Fast.* ℣. 519


Altera gramineo spectabis equiria campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis.
Qui tamen ejecta si forte tenebitur unda,
Coelius accipiet pulverulentus equos.

Fuit denique in eodem Monte Macellum magnum, Antrum Cyclopis, Spoliarium, & Armamentarium.

Quum prima vice Romae commorarer, prope Ecclesiam S. Johannis & Pauli, multum operae sumebatur, in effodienda humo Montis hujus. Reperiebantur illic abscondita parva cubicula, plurimaque rudera ambulacrorum subterraneorum, quorum nonnulla picturis, & opere musivo erant exornata. Omnia haec a fossoribus, praemio aliquo donatis, ostendebantur Domino Sancto Bartoli. Itaque peropportuna hac occasione, & benevolentia clarissimi Viri usus, vidi multa earum rerum, quas dixi, monumenta, quae postridie diruebantur, & subvertebantur, ita ut nihil eorum esset reliquum.

MONS

t. 12.



M O N S
P A L A T I N V S.


Vander & Romulus in hoc Monte habitasse feruntur. Hinc a Statio (*Sylv.* IV. *carm.* 1. ℣. 7.) *Collis Evandrius* fuit dictus, & a *Trebellio Pollione* Historico *Romulius* (*in Salonino Gallieno*) Strabo eum appellat nomine τῆς ἄκρας, quia prima in eo fuit sedes Regia, *in initio Descriptionis Romae* (*pag. mihi* 230. *media.*)

Vocem quod attinet, maxime nobis arridet illa, quam Virgilius adfert de Arcadibus & Evandro, sententia (*AEn.* VIII. *v.* 53.)

Delegere locum & posuere in montibus Urbem
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.

Festus a *Palantone*, Hyperborei filia, quae ibi habitaverit. Alii ab aliis deducunt. Livius (*Lib.* I. *cap.* 5.) a *Palanteo*, urbe Arcadica, unde & vox *Palatium* traxit originem. Sed alii apud Varronem a *Palatia*, uxore Latini, nomen venisse putarunt (*Varr.* IV. *de Ling. Latin.*) *Quartae regionis*, inquit, *Palatium, quod palantes cum Evandro venerunt; aut quod Palatini, qui & Aborigenes, ex agro Reatino, quod appellatur Palatium, ibi consederunt*, &c. Alii ex Festo: *quod ibi Hyperborei filia Palanto habitaverit, quae ex Hercule Latinum peperit; alii eundem, quod Pallas ibi sepultus sit, existimant appellari.* Et sane Polybius, apud Dionysium Halicarnasseum (*Lib.* I. *cap.* 32.) eum a *Pallante* Evandri Filio fuisse dictum putat. Varro rursus (*Lib.* IV. *de Latin. Ling.*) *Eundem hunc locum a pecore dictum, putant quidam; itaque Naevius Balantium appellat. Hinc Germalum & Velias conjunxerunt, & in hac regione Sacriportus est.* Et ideo Festus; *Palatium mons Romae appellatus est, quod ibi pecus pascens balare consueverit; vel quod palare, id est, errare ibi pecudes solerent.* Nec ab hoc dissentiunt Ovidius (*Fast.* V. *v.* 639.) & Propertius (*Lib.* IV. *Eleg.* 1. *v.* 3.)

Ad Ortum habet Montem Coelium, spectatque versus Arcum Constantini; ad Meridiem Aventinum habet, & vicinum sibi Circum Maximum; ad Occasum vero Capitolinum, ubi in proximo fuit Romuli aedes & Velabrum; & denique ad Septemtriones illi adjacent templa, quae in Foro sunt.

Erant in hoc Monte AEdes & Templa Mammeae, Febris, Jovis Victoris, Fidei, Victoriae, Victoriae Germanicae, Solis, Apollinis, Vestae Palatinae, Divorum Caesarum, Minervae, Lunae noctilucae, Augusti, Jovis Propugnatoris, ubi legebatur Inscriptio vetus isthaec, Grutero teste, (*pag.* ccc. *num.* 2.)

P. MARSIVS VERVS. IMP. COMMODO. VI. ET. PETRONIO
SEPTIMANO. COS. A. P. R. C. DCCCCXIL. KAL. DECEM.
IN. PALATIO. IN. AEDE. IOVIS. PROPVGNATORIS IN. LOCVM
M. VERI..... L.. ATTIDIVS. CORNELIANVS. COOPTATVS
TI. SATVRNINO. ET. C. GALLO. COS. A. P. R. C. DCCCCL.
PR. EID. DEC. IN. PALATIO. IN. AEDE. IOVIS. PROPVGNATORIS
IN. LOCVM. ATTIDI. CORNELIANI. VITA. FVNCTI. CL.
PATERNVS. COOPTATVS ....
TI. SEVERO. C. AVFIDIO. VICTORINO. COS. A. P. R. C.
DCCCCLII. EID. APR. IN. PALATIO. IN. AEDE. IOVIS. PROPVGNAT.
IN. LOCVM. CLAVDI. PATERNI. VITA. FVNCTI ....ALLIVS
COLONIVS ...... COOPTATVS.

Bacchi item, Cybeles, Rhamnusiae, Pentapylon (ut Nardinus putat) Jovis Arbitratoris, Fortunae quoque Respicientis, & Martis. Sacella denique, Lararium & Deae Viriplacae. Valerius Maximus (*Lib.* II. *cap.* I. *exempl.* 6.) *quoties inter virum & uxorem aliquid jurgii intercesserat, in Sacellum Deae Viriplacae, quod est in Palatio, veniebant, & ibi invicem locuti, quae voluerant, contentione animorum deposita, concordes revertebantur.* De hoc igitur Monte Palatino, tot ac tantis Templis, AEdibus sacris, & Sacellis instructo, merito obinde cecinit Claudianus (*in* VI. *Cons. Honorii* ℣. 43.)

Tot circum delubra videt, tantisque Deorum
Cingitur excubiis.

Domus vero, sive Palatia, in hoc Monte fuisse dicuntur Viturbii Vani, M. & Q. Ciceronum, L. Crassi. Q. Catuli. C. & Tib. Gracchorum, AEmilii Scauri, M. Antonii, Clodii, Cn. Domitii, Calvini, Hortensii Oratoris; ita tamen, ut eaedem areae plurium saepe possessorum aedibus inservierint.

Erant hic quoque AEdificia alia; ut Curia Vetus; & in ejusdem conclavibus etiam locus dictus *Sacrarium Saliorum Palatinorum.* Elegerat hos Numa e Patritiis n. XII. Juvenes omnes, ut auctor est Dionysius Halicarnasseus (*Lib.* II. *cap.* 71.) Horum munus fuit; servare in quodam penetrali mysteria Urbis, Ancilia sacra, Apices, Trabeasque, & Lituum Romuli auguralem. Valerius Maximus (*Lib.* I. *cap.* 8. *ex.* 11.) *Deusto*, scribit, *sacrario Saliorum, nihil in eo praeter Lituum Romuli integrum repertum est.* Quoties bellum genti alicui indicebatur, soliti erant Salii, movere ancilia, teste Servio (*ad Lib.* VII. *AEn. v.* 603.) Prope hoc *Sacrarium* erant *domus*, seu *domicilia Saliorum*, quas *Mansiones Saliorum Palatinorum* appellat, ex vetere Inscriptione, Apianus, quae, in effodiendis Ecclesiae S. Basilii fundamentis, fuit inventa. Ejus verba sunt, apud Gruterum *pag.* CLXXIII. *n.* 5.

MANSIONES. SALIORVM. PALATINOR. A. VETERIBVS
OB. ARMORVM. ANNALIVM. CVSTODIAM. CONSTITVTAS
LONGA. AETATE. NEGLECTAS. PECVN. SVA. REPARAVERVNT
PONTIFICES. VESTAE. V. V. C. C. PRO. MAGISTERIO
PORTII. ACILLII. LVCILLI. VITRASI. PRAETESTATI
V. V. C. C

Fuit & hic *Porticus Stabuli.* Vopiscus in Carino (*cap.* 19.) *Ludos Romanos, novis ornatos spectaculis dederunt, quos in Palatio circa Porticum Stabuli pictos vidimus.* De marmoreis crustis & ornamentis Lampridius scribit, in Alexandro (*cap.* 25.) *Alexandrinum opus marmoris, de duobus marmoribus, hoc est, Porphyretico & Lacedaemonio, primus instituit; Palatio exornato hoc genere marmorandi.*

In hoc Monte fuit etiam Atrium, augurato conditum, in quo consulebatur Senatus. De hoc Atrio id testatur Servius (*ad AEn.* XI. *v.* 235.) *Idcirco etiam in Palatii Atrio, quod augurato conditum est, apud Majores consulebatur Senatus: ubi etiam arietes immolabantur.*

Area Palatina capax fuit Theatri. De hac Josephus (*Lib.* XIX. *Antiq. Jud. cap.* 1. *medio*) *Exstructa ante Regiam scena, conveniunt eo spectatum Romanorum nobiles, &c.* Et paulo post: *Consedit* (Caligula) *in Theatro, quod compactile instaurabatur per singulos annos hoc modo. Duas habet januas; alteram versus subdivalem aream; alteram versus porticum, per quam Actores ingrediebantur*, &c.

De *Viridario*, Lampridius (*in Elagabalo cap.* 23.) *Montem niveum in Viridario domus aestate fecit.*

Balineas Palatinas commemorat Josephus (*Lib.* XIX. *Antiq. Jud. cap.* 1.) *Mox ubi Regiam ingressi sunt, deflexi ad infrequentem quandam cryptam ducentem ad balineas.*

Gynaeceum, seu domicilium feminarum, hic etiam fuisse fertur, sed intelligitur forte (his Plutarchi verbis, in vita Poplicolae, παλλακίδων δίαιτα, *pellicum diaeta*) locus, qui dicebatur *Coenatio*, quod illic epularentur. Et ita quidem Plutarchi verba interpretatur Donatus (*de Urbe Roma, Lib.* III. *cap.* 11. *de hoc Palatio.*)

Fuit & hic *Colossus Tuscanici operis* ex aere, altus pedes L. qui palmos Romanos conficiunt LXII. Plinius (*Lib.* XXXIV. *cap.* 7.) *Vidimus certe Apollinem in Bibliotheca Templi Augusti Tuscanicum*, L. *pedum a pollice, dubium aere mirabiliorem, an pulchritudine.* Martialis (*Lib.* I. *Ep.* 70.)

Nec te detineat miri radiata Colossi,
Quae Rhodium moles vincere gaudet opus.

Plateae

Plateae hic erant marmore stratae. Lampridius (*in Elagabalo cap.* 24.) *Stravit & saxis Lacedaemoniis & Porphyreticis plateas in Palatio, quas Antoninianas appellavit, quae saxa usque ad nostram memoriam manserunt, sed nuper eruta & avecta sunt.*

Splendorem suum & majestatem hoc Palatium retinuit, usque ad Valentiniani Imperatoris tempora, prout ex Sidonio Apollinari colligitur. Post hunc enim, Imperatoribus pulsis a Regibus Gothicis, habitari desiit, ruinamque hinc inde minari. Nam & a nemine reficiebatur; & Romani Pontifices ornamentis ejus utebantur, in aedificandis Martyrum Christianorum Templis ac Basilicis.

Res haec eo tandem devenit, ut hodie suffossionibus & specubus sit totum quasi pensile, atque ruinis deforme, hortisque occupetur. Usque adeo nihil retinet antiqui splendoris, praeter ingentes parietinas.

In hujus quippe Palatii fundo horti nunc sunt Farnesiani, ubi pluribus in partibus ambulacra reperiuntur subterranea, quorum Porticus multae corruerunt. Tantopere autem haec Imperii Romani primaria sedes omni suo est ornatu spoliata; ut egomet illic invenerim memorabile nihil, aut notatu dignum. In Ambulacris, Forum Romanum spectantibus, quoties venalia eo aguntur pecora, includuntur boves, vaccae, & generis ejus gregum & pecudum armenta plura.

Observes hic mecum licet, quanta & quam deploranda sit vicissitudo rerum humanarum. Nunc hic stabula sunt bubilia & ovilia gregum & pecudum, quo in loco commorabantur quondam Monarchae, toto terrarum Orbe maximi; conventusque habebantur omnium Mundi populorum, quibus pro arbitrio suo imperabant Romani Principes.

Hac porro parte, versus Occasum, *Mons Palatinus* spectabat Capitolium, locumque *Germalum* dictum, quem Varro docet, ita vocatum a germanis, Romulo & Remo, qui illic fuerant expositi, & apud Ficum Ruminalem inventi, quo aqua hiberna Tiberis eos detulerat, expositos in alveolo: itemque *Velabrum*, quod nomen Paludis exsiccatae est, inter Montem Palatinum & Capitolinum. Memorantur haec illustria hic aedificia fuisse, usque ad Jani prope templum.

Rostra Romae fuerunt *duo.* Priora erant Templum in Foro, Curiae junctum, quod postea alio translatum est, Asconio teste (*in principio expos. orat. pro Milone*) Livius (*Lib.* VIII. *cap.* 14.) *Naves Antiatium*, inquit, *partim in navalia Romae subductae, partim incensae, rostrisque earum suggestum in Foro exstructum adornari placuit, Rostraque id templum appellatum.* Haec Rostra in medio fere Fori, sed propius radicibus montis Palatini, eminebant, erantque sedile editius, columnis superstructum, ornatumque Rostris, ut vidimus, navium Antiatium. Ex hoc suggestu concionabantur Consules, & Magistratus alii, laudesque praedicabant defunctorum, & de gravioribus Reipublicae negotiis in concione populi disserebant.

Altera, quae *Nova* vocabantur, fuerunt pro AEde D. Julii, ut Suetonius indicat (*August. cap.* 100.) ubi agit de orationibus funebribus, Augusto dictis. Hoc & Dion confirmat (*Lib.* LVI.) ante orationem Tiberii funebrem, ubi agit de Laudationibus Augusti funebribus: *Positaque lectica supra suggestum, unde orabatur, ex eo Drusus legit quiddam: sed ex aliis rostris, Juliis nuncupatis, Tiberius publice ita oravit ex decreto*, &c. Sic & idem Auctor (*in fine Lib.* LIV.) refert: Augustum orationem funebrem habuisse, deposito ante AEdem Juliam corpore Octaviae contecto. Et arbitror hoc intelligendum esse de iisdem Rostris, *novis*, & *Juliis* appellatis. Fuerunt ergo rostra nova sita in Velabro, quo in loco AEdes fuit Julii Caesaris, inter Montes Capitolinum & Palatinum.

Graecostasis fuit etiam in Velabro. Is locus est, ubi non Graecorum modo, sed & aliarum Nationum Legati subsistebant, audiendi a Senatu. Varro (*Lib.* V. *de Ling. Latin.*) *Dextra e Comitio locus substructus, ubi Nationum subsisterent Legati, qui ad Senatum essent missi, is Graecostasis appellatur.* Nomen autem a Graecis accepit, quia propter artes liberales, quibus prae caeteris nationibus eruditi habebantur, eorum Legati hoc loco, tamquam digniori, excipiebantur, teste Marliano. Capitolinus (*in Anton. Pio cap.*8.) *Graecostadium* vocat, scribitque restitutum esse ab Antonino Pio, post incendium.

Senaculum fuit inter Capitolium & Forum, ubi nunc est AEdes Concordiae: in eo Magistratus cum Senioribus deliberabant. Varro (*dicto loc.*) dicit; *Senaculum vocatum, ubi Senatus, vel ubi Seniores consisterent, dictumque γερȣσίαν.*

Basilica Opimii erat hic etiam, uti &

Ficus Ruminalis, quae Arbor fuit, de qua Tacitus (*Ann.* XIII. *cap.* 58.) ait, *Eodem anno Ruminalem arborem in Comitio, quae super octingentos & quadraginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat,*

mortuis ramalibus & arescente trunco deminutam, prodigii loco habitum est, donec in novos foetus revirescceret. Et Servius (*ad Virg. AEn.* VIII. *v.* 63.) *Rumon Tiberis dictus est, unde Ficus Ruminalis.* Florus (*Lib.* I. *cap.* 1.) vult, repertos ad Arborem. Verisimile enim est, secundum Dionysium (*Lib.* I. *cap.* 80.) apud Lupercal expositos esse, nutritos vero ad arborem. *Ruminalem* porro *Ficum* sunt qui derivant a *Romulo*, quasi *Romularem*: alii a lacte infantibus dato, quia pars gutturis *Ruma* appellatur, sive quod mamma ipsa *rumis* appellaretur, secundum Festum, in voce *Ruminalis.* Hanc Arborem stetisse testantur Scriptores usque ad Augusti tempora, & ultra. Ovidius (*Fast.* II. *v.* 411.)

Arbor erat, remanent vestigia, quaeque vocatur
Romula, nunc ficus, rumina ficus erat.

Romuli, sive Quirini Templum, quod hoc in loco est, secundum Vitruvium, Dorica erat structura. De eo haec scribit Dionysius (*Lib.* I. *cap.* 81.) *Antrum visitur, Palatinis conjunctum aedificiis, secundum viam, quae in Circum fert: & in propinquo est area: casum hunc aere antiqui operis expressum servans, lupam videlicet duobus pueris ubera praebentem.* Nunc vocatur *AEdes D. Theodori.*


Domus Catilinae juxta *Basilicam Opimii* fuit.

Faustuli casa fuisse fertur supra *Comitium*, prope *Graecostasin* & *Ficum Ruminalem.*

Casa Romuli vetus hic quoque erat. Is siquidem, quum inter pastores pastoralem vitam ageret, cum fratre ex arundinibus & lignis suas aedificarunt tabernas, in ea montis parte, quae est e regione Capitolii.

MONS

C 13



M O N S
PALATINVS versus ORTVM.



RTVM versus spectabat hic Mons *Suburram* & *Montem Coelium.* Fuerunt illic in eo monte haec praecipue AEdificia.

Templum Junonis Sospitae.
Sacellum Mutini Titini.
AEdes Victoriae.

AEdes Orci non longe hinc aberat. Erat enim proximo angulo Palatini montis, ubi hic imminet *Arcui Constantini.*

In hoc eodem loco Elagabalus consecravit *Deum Elagabalum*, construxitque ei *Templum*, omnique studio id egit, ut *typum Matris Deûm*, *Ignem Vestae*, *Palladium*, *Ancilia*, & quidquid venerandum Romae fuerat, immo & *Judaeorum religiosa*, & *Christanorum Sacra*, hunc unum in locum transferrentur; hoc consilio, ut unus sub aliorum quoque nominibus coleretur Deus Elagabalus, si Lamprido recte credimus, in Elagabalo (*cap.* 6. & 7.)

Supra *Orci*, erat *AEdes Matris Magnae:* hanc locaverat faciendam M. Livius & C. Claudius Censores. Livius (*Lib.* XXIX. *cap.* 37.) Junius vero Brutus eam dedicavit; atque in hujus facti memoriam Ludi anniversarii sunt instituti. Livius (*Lib.* XXXVI. *cap.* 36.) Nostrae sententiae auctorem dabimus Ciceronem, cujus haec sunt verba (*de Harusp. respons. cap.* 12.) *Nam quid ego de illis Ludis loquar, quos in Palatio nostri majores ante templum, in ipso Magnae Matris conspectu, Megalensibus fieri, celebrarique voluerunt? qui sunt more institutisque maxime casti, solemnes, religiosi.* AEdificata vero haec est AEdes, quod Pessinunte advectum hujus Deae simulacrum ex Templo Victoriae, ubi aliquamdiu fuerat servatum, transferri decreverant. Livius (*Lib.* XXIX. *cap.* 11. & 14.) & praesertim Herodianus (*Lib.* I. *cap.* 11.)

AEdicula hic etiam fuit *Victoriae Virginis.* Livius (*Lib.* XXXV. *cap.* 9.) *Iisdem diebus aediculam Victoriae Virginis, prope aedem Victoriae M. Porcius Cato dedicavit, biennio postquam vovit.*

Tullus item Hostilius habitavit ab hac parte Montis hujus, antequam aedificaret Curiam Hostiliam.

Hujus partis duae sunt effigies.

14.



MONS
PALATINVS versus MERIDIEM.



ONS hic ad Meridiem habet Aventinum & Circum Maximum. Ab hac autem parte haec AEdificia fuisse narrantur.

Tiberianae domus mansiones magnificentissimae. Haec enim post Augustum Palatio accessit. In hac autem habitavit Tiberius, & fortasse eam quoque construxit, licet Suetonius de ea nihil referat, in vita ejus (*cap.* 47.) agens de operibus Tiberii. Spectavit autem Circum Maximum & Montem Aventinum.

Domitianus multis operibus hoc Palatium auxit & ornavit. Suetonius in ejus vita (*cap.* 15.) *Sollicitior indies, porticuum parietes, in quibus spatiari consueverat, Phengite lapide distinxit; e cujus splendore per imagines, quidquid a tergo fieret, provideret.* Hinc de Domitiano Plutarchus (in vita *Poplicolae*) *Gaudes, quum in aedificia omnia profundas, qui, ut Midas ille, omnia tibi aurea fieri & gemmea cupis.* Hunc Imperatorem externis illud & laudatis aedificiis sublimius & pulcrius, caeloque par reddidisse, Auctor est Martialis (*Lib.* VIII. *Epigr.* 35.)

Regia Pyramidum, Caesar, miracula ride;
Jam tacet Eoum barbara Memphis opus.
Pars quota Parrhasiae labor est Mareoticus aulae?
Clarius in toto nil videt orbe dies.
Septenos pariter credas assurgere montes:
Thessalicum brevior Pelion Ossa tulit.
AEthera sic intrat, nitidis ut conditus astris
Inferiore tonet nube serenus apex.
Et prius arcano satietur lumine Phoebi,
Nascentis Circe quam videt ora patris.
Haec, Auguste, tamen, quae vertice sidera pulsat,
Par domus est coelo: sed minor est Domino.

Et Statius, in Eucharistico ad Domitianum (℣. 18.)

Tectum augustum, ingens, non centum insigne columnis,
Sed quantae superos, coelumque Atlante remisso
Sustentare queant. Stupet hoc vicina Tonantis
Regia, teque pari laetantur sede locatum
Numina, ne magnum properes ascendere coelum.
Tanta patet moles, effusaeque impetus aulae,
Liberior campi multumque amplexus aperti,
AEthereo & tantum Domino minor, ille penates
Implet, & ingenti genio juvat. AEmulus illic
Mons Lybis, Iliacusque nitens, & multa Syene,
Et Chios, & glauca certantia Doride saxa,
Lunaque portandis tantum suffecta columnis.
Longa super species; fessis vix culmina prendas
Visibus, auratique putes laquearia coeli.

Omnia in hoc Palatio dicuntur distincta fuisse, non tantum variis marmorum seu glebis, seu crustis; verum etiam argento, auro & gemmis. Tacitus (*An.* XV. *cap.* 42. §. 1.) *Nero construxit domum, in qua haud perinde gemmae & aurum miraculo essent, solita pridem & luxu vulgata.*

Quatuor damus hujus partis icones.




c. 16.







C. 18.



M O N S

PALATINVS versus SEPTEMTRIONES.





N hoc *Monte Palatino*, qua parte Forum Romanum spectabat, haec fuerunt AEdificia publica, privataque.

Palatium Anci Martii, IV. Regis.

Palatium Tarquinii Prisci, V. Regis, &

Servii Tullii, VI. Regis.

Domus Hortensiana, ubi primum habitavit Augustus; postea vero inde migravit in Aulam Palatinam. Suetonius (*Aug. cap.* 72.)

Palatium hoc Imperatorum, quod & *Augustale* vocabatur, Caligula ampliavit, & protulit usque ad Forum. Occupavit vero, quum esset maximum, octavam totius Montis partem. Suetonius (*Calig. cap.* 22.) *Partem Palatii ad Forum usque promovit, atque aede Castoris & Pollucis in vestibulum transfigurata &c.* Plinius Palatium comparat cum domo Neronis, quae tota stabat in Urbe (*Lib.* XXXVI. *cap.* 15.) *Bis*, inquit, *vidimus Urbem totam cingi domibus Caji & Neronis.*

Denique ab aliis Augustis haec Domus Imperatoria tot modis fuit aucta, ut totum poene Montem impleret; eumque in modum exornata, ut non indigna esset habitatio Dominorum Orbis universi. Huc respicit Claudianus (*in* VI. *Conf. Honor. vers.* 39.)

Non alium certe decuit Rectoribus Orbis
Esse larem, nulloque magis se colle potestas
AEstimat, & summi sentit fastigia juris,
Attollens apicem subjectis regia rostris.

Ab Augusto enim deinceps omnes Romani Imperatores in hoc eodem Palatio fixerunt sedes suas. Hinc factum, ut ab Imperatoria sede cujusvis Principis, aut potentis, & illustris Viri domus *Palatium* diceretur. De Domitiani in exornando Palatio cura singulari alibi sumus locuti.

Palatium autem hoc fuit ab Augusto ipso refectum, postquam arsisset. Suetonius (*cap.* 57.) *In restitutionem Palatinae domus incendio absumptae, Veterani, Decuriae, Tribus, atque etiam singillatim e caetero genere hominum, libentes ac pro facultate quisque pecunias contulerunt.* Et Dion (*Lib.* LV.) *Cum forte Palatium incendio periisset, refectam Domum Augustus totam publicam esse jussit, sive quod ad eam aedificandam populus pecuniam contulisset, sive quod Pontifex Maximus esset, ut simul in propriis & publicis aedibus habitaret.*

Fuit in recessu hujus domus (Augusti) erectum *Apollini templum*, & in basi ejus feruntur reconditi fuisse *Libri Sibyllini*. Ab hoc Templo per domum Tiberianam via patebat versus Milliare aureum, quod erat in Foro positum. Nam, ut refert Tacitus (*Lib.* I. *Hist. cap.* 27.) *Galba sacrificante pro AEde Apollinis, Otho, qui in eum conjuraverat, digressus per Tiberianam domum in Velabrum, inde ad Milliarium aureum sub AEdem Saturni perrexit.* Plutarchus (*in Galba*) *Per Tiberii domum, quam vocant, descendit in Forum.*

Erant & hic Porticus, in quibus servabatur *Bibliotheca Graeca & Latina*, cujus meminerunt Dion,

Propertius, Suetonius, Ovidius, aliique. Bibliothecae huic videtur praefuisse Sextus aliquis, aetate Martialis, & ab eo laudatus (*Lib.* V. *epig.* 5.)

Sexte, Palatinae cultor facunde Minervae, &c.
Ingenio frueris qui propiore Dei.

AEdes Deorum Penatium fuit quoque in hac parte Montis; de quibus Livius (*Lib.* XLV. *cap.* 16.) *De prodigiis deinde nunciatis Senatus est consultus. AEdes Deorum Penatium in Velia de coelo tacta erat.*

Romae Templum etiam fuit in hac regione Montis. Ejus descriptionem habemus apud Dionysium Halicarnasseum (*Lib.* I. *cap.* 68.) *Templum Romae non procul Foro ostenditur, secundum viam, quae ad Carinas fert compendio, supra modum obscurum, nec magnum structura, locus vernacula gentis lingua dicitur Subvelia. In eo positae sunt Trojanorum Deorum imagines, quas cuivis fas est inspicere, cum inscriptione* DENAS, *quae Penates significat. Videntur enim mihi prisci, ante inventum* P *usurpasse pro eo* D *litteram. Sunt autem hastati duo juvenes, habitu sedentium, admodum antiqui operis. Alia quoque multa in antiquis templis horum Deorum idola conspeximus, & in omnibus duos Juvenes, militari habitu.*

Fuerunt & hic *Templa Castoris, & Vestae.* Martialis (*Lib.* I. *Epigr.* 70.)

Quaeris iter? dicam: vicinum Castora canae
Transibis Vestae, Virgineamque domum.
Inde sacro veneranda petes Palatia clivo,
Plurima qua summi fulget imago ducis.

In hac AEde Vestae *Palladium* olim servatum fuisse docet Plinius (*Lib.* VII. *cap.* 43. *in fin.*) *Is Metellus*, inquit, *orbam luminibus exegit senectutem, amissis incendio, quum Palladium raperet ex AEde Vestae, memorabili caussa, sed eventu misero.* Ovidius cum Martiale consentit, dicens (*Lib.* I. *Trist. Eleg.* 1. *v.* 28.)

—— —— *Haec sunt Fora Caesaris, inquit,*
Haec est a sacris quae via nomen habet.
Hic locus est Vestae, qui Pallada Servat & ignem,
Huc fuit antiqui regia parva Numae.
Inde petens dextram, Porta est, ait, ista Palati,
Hic Stator, hoc primum condita Roma loco est.

Gradus magni Vestibuli Neronis fuerunt itidem in hac Montis parte. Hi superfuerunt usque ad tempora Vitellii. Dion, de Vitellio (*Lib.* LXV. *sub finem*) *Caesarem e Palatio, ubi magnas voluptates ceperat, deducunt, trahuntque via Sacra.* Magni item Palatii gradus quidam visebantur prope Arcum Titi, ubi in Palatii frontem ascendebatur. Et fertur Antoninus Pius hic in ipso Palatio exstruxisse *novam portam.*

Domus quoque *Ciceronis, M. Flacci, Proculi,* & *Cn. Octavii* steterunt in his partibus Montis hujus, ut alibi monuimus.

Hippodromus vero non longe abfuit ab Arcu Titi, ubi nunc S. Sebastiani AEdes est, si alios audias. Sed Nardinus Palatii Hippodromum esse putat ipsum Circum Maximum.

VESTI-

c 10



VESTIGIA
CAPITOLII VETERIS.


APITOLIVM fuit initio ſedes T. Tatii Sabini Regis, & mons dicebatur *Tarpejus* & *Saturnius.* De eo Varro (*Lib.* IV. *de Ling. Lat.*) *Sunt & nomina, ab tot Montibus, quos poſtea Urbs mureis comprehendit: e queis Capitolium dictum, quod hic quum fundamenta foderentur aedis Jovis, caput hominis inventum dicitur.* Hiſtoriam fuſe refert Dionyſius (*Lib.* IV. *cap.* 66.) Arnobius ſcribit (*Lib.* VI.) *Tolum* appellatum fuiſſe, atque ab eo *Capitolium* dictum. Pergit Varro. *Hunc antea Montem Saturnium appellatum prodiderunt, & ab eo late Saturniam terram, ut etiam Ennius appellat. Antiquum oppidum in hac fuiſſe ſcribitur Saturnia. Ejus veſtigia etiam nunc manent tria; quod Saturni fanum in faucibus; quod Saturnia porta, quam Junius ſcribit, ibi, quam nunc vocant Pandanam; quod poſt aedem Saturni in aedificiorum legibus parietes poſtici muri ſunt ſcripti.* Virgilius quoque, loquens de Janiculo & Capitolio, inquit (*Lib.* VIII. *AEn.* ℣. 357.)

Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit Urbem
Janiculumque illi, huic fuerat Saturnia nomen.

Fuit hic igitur ante Urbem conditam, ut Virgilii quoque verba indicant, *Saturnia* oppidum conſtructum, quod & ex Dionyſio probari poſſet, ſcribente (*Lib.* I. *cap.* 38. & 44.) habitatum illud fuiſſe a ſociis Herculis, qui *Saturnium* hoc appellaverat in honorem Saturni, quem conſtabat, Montem cum coluiſſe. Et hoc ipſum confirmant Plinius (*Lib.* III. *cap.* 5.) *Saturnia, ubi nunc Roma eſt: Antipolis,* (alii MSS. *AEneipolis*) *quod nunc Janiculum in parte Romae.* Et Solinus (*cap.* 2.) *Et montem Capitolinum Saturnium nominarunt.*

Livius vero (*Lib.* I. *cap.* 38.) & Tacitus (III. *Hiſt. cap.* 72.) oſtendunt, montem hunc fuiſſe muris ſeptum. Commemorat enim, Tarquinium Priſcum bello Sabinorum voviſſe, ſe aedificaturum Capitolium, qui quum, poſitis fundamentis, fato functus eſſet, Superbus, capta Sueſſa Pometia, ex ſpoliis hoſtium abſolvit. Plutarchus (*in Poplicola*) & Livius (*Lib.* I. *cap.* 53.) Exactis deinde Regibus, Horatius Pulvillus conſecrationem obiit. Livius (*Lib.* II. *cap.* 8.) Legitur autem fuiſſe ex ſaxo quadrato, & hoc idem probant Veſtigia; & teſtatur Marlianus, ſe vidiſſe, ex ejuſdem Capitolii fundamentis erui ſaxa tantae magnitudinis, ut minime falſo dixerit Plinius (*Lib.* XXXVI. *cap.* 15.) *Sed tunc ſenes aggeris vaſtum ſpatium, & ſubſtructiones inſanas Capitolii mirabantur.*

Limina Capitolii fuerunt aenea, facta a Cn. & Q. Ogulniis, AEdil. Cur. Livius (*Lib.* X. *cap.* 23.) Tegulas autem aereas Catulus inauravit. Auſonius *in claris Urbibus: de Narbona* (℣. 16.) Et has quidem Honorius Pontifex ad AEdem D. Petri tegendam tranſtulit, ubi nonnullae earum tempore Marliani adhuc cernebantur. Porro in Catilinaria (*Orat.* III. *cap.* 8.) Cicero ſignificat, in Capitolio fuiſſe turres complures, quarum aliquas teſtatur de coelo tactas fuiſſe.

Scipione & Norbano Coſſ. Bello Mariano, igni abſumptum legimus. Refecit Sulla, dedicavit Catulus, nomenque illius, ut notat Plutarchus (*in Poplicola*) manſit uſque ad Vitellium. Immo & Marliani aetate ſuperfuit in Inſcriptione reperta, ubi ſalis erat receptaculum, apud Gruterum (*pag.* CLXX. *num.* 6.)

Q. LVTATIVS. Q. F
Q. N. CATVLVS. COS
SVBSTRVCTIONEM. ET
TABVLARIVM. EX. S. C
FACIVND. CVRAV

Iterum arſit Capitolium bello Vitelliano, ut docet Cornelius Tacitus (*Hiſt.* IV. *cap.* 54. *n.* 3.) Et Suetonius aſſerit, inſtauratum a Veſpaſiano, his verbis (*cap.* 8.) *Reſtitutionem autem Capitolii aggreſſus, ruderibus*

deribus purgandis manus primus admovit, ac suo collo quaedam extulit. Quum vero sub Vespasiani mortem iterum incendio esset corruptum, Domitianus restitutionis curam suscepit. Auctor idem Suetonius (*cap.* 5.) *Plurima, & amplissima opera incendio absumpta restituit, in queis & Capitolium, quod rursus arserat: sed omnia sub titulo tantum suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria.* Sumptus hujus instaurationis excessisse feruntur XII. mill. talentorum.

Capitolium autem *vetus* habuit formam Arcis perfectae, situm quippe in colle edito & abrupto, munitumque opere & natura. Hinc Tacitus jure dixit (*Lib.* IV. *Hist. cap.* 78. *n.* 4.) *Munitissimam Capitolii Arcem, & ne magnis quidem exercitibus expugnabilem.* De substructione Livius (*Lib.* VI. *cap.* 4. *sub fin.*) *Capitolium quoque saxo quadrato substructum est, opus vel in hac magnificentia Urbis conspiciendum.* Muris & turribus additae erant fores in summis clivis, per quas ascendebatur in Arcem ipsam.

Habet hic Mons fastigia duo, in altero templum est, dictum *Ara Coeli* & Monasterium Franciscanorum; & hoc quidem loco olim admirandum *Jovis Capitolini templum* se ostentabat. Alterum, prope desertum, vocatur *Mons Caprinus*, & in eo nunc est Palatium Ducis Caffarelli, ad cujus ultimum marginem spectatur *Rupes Tarpeja.*

Apollinis Statua, in Capitolium olim translata a Lucullo, ex Apollonia Ponti urbe, XXX. cubitorum, CL. talentis facta, jacet hodie in AEdibus Conservatorum fracta.

Tertullianus (*de Spectaculis*) omnium Deorum templum fuisse asserit (*ubi de munere*) *Capitolium*, inquit, *omnium daemonum templum est.* In eoque jura civilia & artes liberales docebantur (*l. ult. C. Theod. de Stud. liberal. Urb. Rom. & Constant.*)

Habuit & Capitolium *Casam Romuli*, illo regnante cannis & viminibus tectam, & a Sacerdotibus iisdem stramentis deinceps instauratam, ut semper integra permaneret. Hinc Ovidius ait (*Fast.* III. *v.* 183.)


Quae fuerit nostri si quaeris regia nati?
Adspice de canna straminibusque domum.

Juxta hanc *Curia* fuit, nomine *Calabra*. *Calabrae* nomen a *calando* derivata est, quod significat *vocare*, ἀπὸ τοῦ καλεῖν, *quod omnis juxta eam populus vocaretur*, ut docet Macrobius (*Lib.* I. *Saturn. cap.* 15.) *Antequam Fasti proderentur, Pontifici minori haec provincia delegabatur, ut novae Lunae primum observaret aspectum, visamque Regi Sacrificulo nunciaret. Itaque sacrificio a Rege & minore Pontifice celebrato, idque Pontifex calata, id est, vocata in Capitolium plebe, juxta Curiam Calabram, quae casae Romuli proxima est, quot numero dies a Kalendis ad Nonas, superessent, pronuntiabat.* Hanc Curiam etiam stramentis contegebant, ut priscam Majorum paupertatem indicarent. De hac dictum putat Servius a Virgilio (*AEneid.* VIII. *v.* 654.)

Romulcoque recens horrebat Regia culmo.

TAR-

C 20



TARPEIA

RVPES.






TArpeia Rvpes dicta est pars Montis Capitolini post Clivum. Vertex enim ille Montis Capitolini, qui nunc vocatur *Mons Caprinus*, ubi est Domus Ducis Caffarelli, versus Meridiem, etiamnunc ostendit praecipitium Rupis, e saxo nativo assurgentis.

Mons quidem totus *Capitolium* dicitur, & tamen, accuratius loquendo, in tres dividitur partes, *Saxum* nempe, *Arcem* & *Capitolium*. *Saxum* vocatur praeceps & aspera rupes, montisque pars, quae ad occasum & Tiberim spectat, & hodie sita est proxima Coenobio *Turris speculorum*, *Foroque Montanario*, fuitque *Tarpeja* olim vocata. Plutarchus (*in Romulo*) *A Tarpeja virgine illic sepulta ille vocatus est Tarpejus, donec eum locum Jovi Tarquinius consecravit; quo tempore ossa ejus alio fuerunt translata, nomenque exolevit Tarpejae, excepto saxo, quod vocant etiam nunc Tarpejum, ex quo praecipitare sceleratos solebant. Arx* significabat editiorem montis partem. Reliquum collis *Capitolium* erat. Et ita saepe distinguuntur haec ab Auctoribus. Livius (*Lib.* VI. *cap.* 20.) *Ne quis Patricius in Arce, aut Capitolio habitaret.* Dionysius (*Lib.* II. *cap.* 15.) *Locum Capitolium inter & Arcem situm, qui nunc Romana lingua inter duos lucos dicitur.*

Saxo igitur soli, seu *Rupi* adhaesit *Tarpejae* nomen, quae respicit *Forum Olitorium*, quod hodie vocatur *Piazza Montanara.* Atque hoc sensu Dionysius scribit (*Lib.* VII. *cap.* 33.) *Duci jussit cum in superstantem Foro collem. Est enim is collis rupes vasta, unde mos est eis dejicere adversarios.* Ne igitur huic sententiae contradixisse videamur, dicendum censebimus; totum montem nonnumquam & *Arcis*, & *Tarpejae rupis* nomine vocatum fuisse. Ita confunduntur ab Auctoribus haec nomina *Arcis*, *Capitolii*, *Saxi.* Tacitus (*Lib.* III. *Hist. cap.* 71.) *Diversos Capitolii aditus invadunt;* paulo ante dixerat, *Arcem Capitolinam.* Livius (*Lib.* V. *cap.* 41.) *Circumferentes oculos ad Templa Deûm Arcemque solam belli speciem tenentem, inde modico relicto praesidio, ne quis in dissipatos* (Gallos) *ex Arce aut Capitolio impetus fieret.*

Ex *Rupe* itaque *Tarpeja*, seu *Saxo*, proprie dicto, dejiciebantur sontes & scelerati. Hinc Cicero ad Atticum (*Lib.* XIV. *epist.* 16. in aliis libris 18.) *Quis enim audeat violare* (Brutum scilicet) *proposita cruce, vel Saxo.* Alii pro *violare*, legunt *laudare*, subintellige *Bruti caedem.* Et Plinius testatur (*Lib.* VII. *cap.* 44.) *Metellum ad Tarpejum raptum, ut praecipitaretur.* Gellius autem scribit (*Lib.* XX. *cap.* 1. *sub finem*) eodem mortis genere adfectos, qui falsum dixisse testimonium essent convicti.


C 21



R V I N A E

prope S. MARIAE CACABARINAE ECCLESIAM,

quae CIRCI FLAMINII RVDERA ſunt forte.



Ars aliquantula ingentis & praelongi AEdificii hodie conſpicitur prope Eccleſiam *S. Mariae Cacabarinae.* Situm hoc fuit inter Theatrum & Circum Flaminii. Serlius in Architectura ſua (*Lib.* III.) reliquit nobis Ichnographiam illius, exiſtimatque, occupaſſe hoc AEdificium in longitudinem omne ſpatium, quod eſt inter Subucularios & aream Judaeorum, complectens Palatium Sanctaecruciorum, & nominatam illam aream, hoc fere modo; ut incipiens prope Theatrum extremum defineret ad Circum. Neque tamen complectebatur ſpatium omne intermedium, ſed relinquebat partem quandam vacuam iis locis, quibus proſpiciebat utrumque aedificium; ita ut eam Auſtrum verſus cingeret inſtar areae.

Deſcribit & exhibet Ichnographia Serliana Porticum vaſtam, duplicemque, ut quae inter latus Boreale, quo Theatro & Circo objacebat, & Auſtrale, quo Montem Cincium proſpiciebat & Tiberim, habuerit in medio AEdificium in longum porrectum, quo dividebatur latus utrumque. Erant hae duae Porticus, cum tribus ſcalis cochlidibus, quibus aſcendebatur in ſuperiorem Ordinem columnarum. Liquet enim ex altero ſchemate Serlii, fuiſſe hic duos Columnarum ordines ſibi invicem ſuperimpoſitos, quod & oſtendunt reſidua, quae ſuperſunt.

Fuerunt, qui crederent, fuiſſe hic *Domum Marii.* Scilicet perſuaſerant ſibi, nomen illud Cacabari corruptum eſſe e *Caſa Marii.* Sed id fruſtra eſt. Nomen enim Eccleſiae Cacabarinae adhaeſit a *Cacabariis* artificibus, qui cacabos faciunt, & hoc in loco merces ſuas habuiſſe cenſendi ſunt.

Doctiores alii exiſtimaverunt, fuiſſe hic *Porticum Pompeji.* Eſt vero credibile, fuiſſe hanc Porticum in margine herboſo campi potius, quam inter multitudinem aedificiorum, undique hunc locum ambientium, ob platanorum umbras & deambulantium delicias. Et oſtendit alicubi Nardinus; Porticum Pompeji fuiſſe ab ea parte Theatri Pompejani, qua fuerat ſcena. Praeterea Arcus magis e lateribus, quam Tiburtinis ſtructi lapidibus, majorem aedificii hujus vetuſtatem indicant. Et illius Pilae potius, quam Columnae, non conveniunt magnificentiae Porticus Pompejanae.

Donatus credidit, fuiſſe hanc *Porticum Philippi*, propter vicinum illi Circum Flaminium. Nardinus vero hanc conjecturam non quidem damnat omnino, ſed probabilius arbitratur, ut fuerit *Cn. Octavii.* Plinius enim & Victor tradunt, duplicem fuiſſe eam Porticum, & pariter vicinam Theatro Pompeji. De vicinia Theatri haec docet Feſtus, (*initio Lib.* XVI.) *Octaviae Porticus duae appellantur, quarum alteram Theatro Marcelli propiorem Octavia ſoror Auguſti fecit; alteram Theatro Pompeji proximam Cn. Octavius Cn. Filius, qui fuit AEd. Cur. Pr. Coſ. Decemvir ſacris faciundis, triumphavitque de Rege Perſeo navali triumpho, quam combuſtam reficiendam curavit Caeſar Auguſtus.* Vicinam Circo fuiſſe, haec Plinii verba docent (*Lib.* XXXIV. *cap.* 3.) *Invenio & a Cn. Octavio, qui de Perſeo navalem triumphum egit, factam porticum duplicem ad Circum Flaminium, quae Corinthia ſit appellata a Capitulis aereis columnarum.* Et illa Velleji Paterculi (*Lib.* II. *cap.* 1.) *Tum Scipio Naſica in Capitolio Porticus; tum quas praediximus, Metellus; tum in Circo Cn. Octavius multo amoeniſſima moliti ſunt.*

Si quid tamen valent judicia teſtium oculatorum, dixerim; exſtare hic reliquias infimi ordinis *Columnarum Circi Flaminii.* Simillima enim haec ſunt rudera vel Theatro, vel Amphitheatro, vel Circo, minimamque habent convenientiam cum Porticu. Quod autem dicta noſtra in primis confirmat: hoc eodem in loco ruinae hae vetuſtae viſuntur, ubi conſtat fuiſſe Circum Flaminium.

Suſpicantur nonnulli, fuiſſe hic Templum Martis, quod erat exſtructum in Circo Flaminio, cujus Architectus nominatur Hermodorus Salaminius, teſte Cornelio Nepote apud Priſcianum (*Lib.* VIII.)

Creditur autem hoc AEdificium magnificentiſſimum fuiſſe, opuſque Architecturae politiſſimae, prout apparet ex duabus Columnis fractis, quondam ,ut conjicitur, in ſtabuli quadam parte poſitis. Hic vero Circus Flaminius, ut opinantur, capax fuit ſpectatorum quadraginta millium, in locis ſuis ſedentium; ſi vero Nardino credimus, octoginta millium.

Harum Columnarum pars dimidia, nam altera parieti eſt infixa, lata eſt palmos Romanos v. cum pollic. XI. ſunt autem factae ex lapide Tiburtino.



C V R I A
H O S T I L I A.



VRIAE HOSTILIAE regis Tulli Hoſtilii duae fuerunt Romae. *Una* fuit prope Forum, ubi nunc eſt Templum Pacis, ut Marlianus ſcribit (*Topograph. Rom. Lib.* III. *cap.* 6.) in cujus ruinis marmor eſt repertum, cum hoc Titulo.

IN. CVRIA. HOSTILIA.

Altera ab eodem Rege eſt condita, ubi nunc SS. Johannis & Pauli eſt Eccleſia. Oſtendit hoc Livius (*Lib.* I. *cap.* 30.) his verbis: *Coelius additur Urbi Mons, & quo frequentius habitaretur, eam ſedem Tullus Regiae capit, ibique deinde habitavit*, &c. *Templumque ordini a ſe aucto Curiam fecit, quae* HOSTILIA *uſque ad patrum noſtrorum aetatem appellata eſt.*

Blondus & alii opinantur; Curiam Hoſtiliam ſecundam fuiſſe olim, ubi nunc Eccleſia eſt SS. Johannis & Pauli, quam exſtruxit dictus Rex, Albanis in Urbem receptis. Nardinus vero fatetur, prorſus ignarum ſe eſſe, quo auctore, quove indicio id dixerint. Acta tamen Martyrum SS. Johannis & Pauli, ab Juliano Apoſtata interemptorum, oſtendunt, horum domum fuiſſe hoc in loco. In vicinia Eccleſiae hujus conſpicitur fragmentum antiqui operis pulchrum, arcuſque ex lapide Tiburtino, in quibus ruderibus turris poſtea eſt aedificata. Verumtamen certi nihil colligi poterit ex his reliquiis, tam obſcuris & perexiguis, quale nimirum aedificium hic ſteterit, fueritve.

Quidquid illius ſupereſt in ruderibus Antiquis, effigies reliquiarum hic appoſita videndum nobis exhibet.


At, quid eſt *Curia?* audiamus Varronem (*de vit. Pop. Rom. Lib.* II. *& de Ling. Lat. Lib.* IV. *&* V.) & Feſtum (*Lib.* III. *in voce Curia*) ex quorum verbis haec. *Curia a cura.* Tres autem ſignificationes vocis *Curiae.* I. Curiae ſunt triginta illae partes, in quas populum diſtribuit Romulus. II. Curiae, ſacrae illae aedes, quas ſingulae harum triginta partium habuerunt, & in quibus ſacra ſua peragerent. III. Curiae, aedes illae, in quibus Senatus eſt habitus. Et talis erat Curia haec Hoſtilia, teſte Roſino (*Antiquitat. Romanar. Lib.* VI. *cap.* 2.) citante quoque Dionyſium (*Lib.* II. *cap.* 7.) & Livium (*Lib.* I. *cap.* 13.) circa ſignificationem primam.



D O M V S
vulgo P I L A T I.

DOMVS parva, neque tamen integra, oftenditur e regione Ecclefiae S. Mariae AEgyptiae. Structura ejus eft antiqua, & variis prifci operis fculpturis ornata. Fulvius eam fua aetate, quemadmodum & hodie in fermone vulgi, vocatam fcribit *Domum Pilati*, quamvis hujus fententiae nulla verifimilis fit vel conjectura, vel probatio. Sed alii probabilius fuiffe putant Domum alicujus *Nicolai di Renzo*: hujus enim Domini nomen infcriptum legitur januae cuidam, charactere recentiore. Atqui nullum eft dubium, quin aedicula haec non fit antiquior Barbarorum temporibus, ufque adeo arte omni & judicio caret ordo ftructurae illius, minimeque eft conveniens cum praeftantia architectonices prifcae, vel hodiernae. Quae vero qualemcunque prae fe ferunt fimilitudinem fculpturarum vetufti artificii, conftructa funt ex opere lateritio, eodem prorfus modo & exemplo, quo id factum confpicimus in Amphitheatro Caftrenfi, excepto, quod in hoc aedificio noftro nulla omnino ratio eft habita generis ftructurae politioris; quemadmodum haec egomet Romae oculis diligenter infpexi, atque obfervavi.





24

THEATRVM MARCELLI.



HEATRVM hoc situm est Capitolium inter & Tiberim, in Foro Olitorio, partemque Theatri hujus occupat structura Palatii Sabellorum. Et haec quidem pars Theatri Marcelli, vetustate igneque corrupta, & fere penitus collapsa, etiamnunc Romae superest.

Exstruxit hoc Augustus nomine Marcelli, Octaviae sororis suae & C. Marcelli filii, qualia multa opera publica Augustus sub alieno nomine condidit. Suetonius (*Aug. cap.* 29.) Marlianus vult, cepisse illud loca LXXX. mill. sed numerat tantum XXX. millia P. Victor. Is Marcellus dum AEdilitatem ageret, paullo postquam Caesaris Filiam duxisset uxorem, mortem sponsus obiit. Ad ejus decus & memoriam Octavia mater Bibliothecam construxit, & Caesar ipse Theatrum Marcelli nomine inscripsit. Plutarchus (*Marcel. in fine.*)

Structura ejus fuit egregia, & opus maximum atque pulcherrimum, utpote ab eo excitatum, qui diligentiam summam adhibebat, ut praeclaris ornamentis & structuris Romam illustraret. Vitruvius ejus Architectus fuisse perhibetur; sed hoc Philander interpres ejus negat, quia peccavit in Doricae coronae partibus formandis: & tamen Doricam Symmetriam ex hujus Theatri Columnis Architecti cum maxime eliciunt. Ordo enim structurae duplex est, Doricus & Ionicus, & quod observatu dignum, Doricae Columnae nulla basi fultae in plano erigebantur. Mensura etiam Columnarum Dorica palmorum est Rom. IV. & pollic. IV. Habuit vestibula & Januas XXXIX. fuitque constructum ex lapide Tiburtino.

Augustus hoc Theatrum condidit, quo loco Julius Caesar ante destinaverat. Suetonius (*Jul. Caes. cap.* 44.) *Destinabat exstruere theatrum summae magnitudinis, Capitolino monti accubans.* Ludis iis, quum ab Augusto dedicaretur, ut refert Dion (*Lib.* LIV.) *Trojam inter alios patricios pueros lusit nepos Augusti Cajus, feraeque Africanae sexcentae sunt occisae.* His iisdem Dedicationis Theatri Ludis evenit, teste Suetonio (*Aug. cap.* 43.) *ut laxatis sellae curulis compagibus Augustus caderet supinus.* Idemque Auctore Plinio (*Lib.* VIII. *cap.* 17.) tum primus omnium Romae ostendit *Tigrin in cavea mansuefactam*; jussitque, ut scribit Dion (*Lib.* LIII. *sub finem*) *ut Ludis Romanis effigies Marcelli aurea, aureaque corona, & sella curulis in theatrum inferretur, mediaque inter praefectos ludis Magistratus collocaretur.* Hujus Theatri scenam Vespasianus restituit. Suetonius (*Vespas. cap.* 19.) *Ludis, per quos scena Marcelliani Theatri restituta dedicabatur, Vetera quoque acroamata dedicaverat.* Alexander Severus destinaverat quoque Theatrum hocce reficere, neque tamen id perfecisse dicitur, ut vult Lampridius (*in Alexand. cap.* 24.) Exinde tamen liquet, jam tum incendio, aut alio modo, fuisse corruptum.

Marcellum jam mortuum fuisse ante dedicationem Theatri, auctor est Dion (*Lib.* LIII.) Non est ergo locus Propertii (*Lib.* III. *Eleg.* 17. ỷ. 14.)

Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro.

intelligendus de hoc Theatro, sed de Pompejano forte, quod unicum tunc temporis stabile reperiebatur in Urbe. Ovidius tamen hujus Theatri meminit (*Trist.* III. *Eleg.* I. *v.* 69.) quum liber jussus abire Palatio, ait.

Altera templa peto, vicino juncta theatro.

Intelligit autem *templum Pietatis*, factum *in ejus carceris sede, ubi nunc Marcelli Theatrum est*, ut docet Plinius (*Lib.* VII. *cap.* 36.) ita ut constructo Theatro, nec tota carceris occupata sede, Templum tamen manere potuerit. Vel intelligitur ab Ovidio *Junonis aedes*, quae, Plinio teste (*Lib.* XXXVI. *cap.* 5.) *in Octaviae Porticu fuit.* Ex Tacito denique erit observandum; Statuam Augusti a Livia ad Theatrum Marcelli positam (*Lib.* III. *Ann. cap.* 64. §. 2.) *Neque enim*, inquit, *multo ante quum haud procul Thea-*

tro Marcelli effigiem Divo Augusto Julia dicaret, Tiberii nomen suo postscripserat. Idque ille credebatur, ut inferius majestate Principis, gravi & dissimulata offensione abdidisse.

De hoc Theatro Marcelli haec legitur Inscriptio, apud Gruterum (*pag.* CCXLVI. *Inscript.* 9.)

IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F.
NERVAE. TRAIANO. AVG. GERM.
DACICO. PONT. MAX. TRIB. POTEST. VIII
IMP. VIII. COS. V. P. P. OPTIMO. PRINCIPI
SAGARI ..... ATRI. MARCELL.
CVLTORES. DOMVS. AVG

AMPHI-



AMPHITHEATRVM
CASTRENSE.


Ntiquitatum Romanarum periti nonnulli existimarunt *Amphitheatrum*, quod prope muros Urbis, partim intra moenia, partim extra illa situm est, vicinum *Templo S. Crucis Hierosolymitanae*, & in ejusdem Ecclesiae coenobio etiamnunc conspicitur dirutum, in *agro Sessoriano*, esse *Amphitheatrum a Statilio Tauro* quondam aedificatum. Sed alii, melioribus rationibus persuasi, censent hoc esse *Amphitheatrum Castrense*, quod P. Victor testatur fuisse in Regione Exquilina.

Statilii vero *Tauri Amphitheatrum* fuit constructum ex solido marmore Pario, in Campo Martio. Dion (*Lib.* LI. *ubi de Caesaris quarto Consulatu*) *Caesare quartum Cos. Taurus Statilius suis expensis exstruxit Theatrum quoddam Lapideum pro venationibus in Campo Martio, consecravitque cum pugna gladiatorum.* Atqui haec pugna non in Theatris, sed in Amphitheatris exhiberi fuit solita. Idem (*Lib.*XLIII. *de Caesaris aedificiis*) *Theatrum quoque ad venationes aptum foris ac tabulatis instruxit, quod quia undiquaque habet sedes, Amphitheatrum cognominatum est.* Et Rufus praeterea atque Victor illud collocant in Campo Martio.

Hujus vero Amphitheatri Castrensis rudera, quae visuntur etiamnunc ad sinistram Sanctae Crucis, facta sunt ex latere cocto, etiam quoad columnas & alia ornamenta, opere nitido & Corinthio, estque impactum muro urbano. Non est autem verisimile, Statilium Taurum, hominem praedivitem ac potentem, & aliquando in Consulatu Augusti ipsius Collegam, & ex Imperatoris familiaribus praecipuis unum, Agrippa mortuo, testibus Dione & Paterculo, Amphitheatrum fecisse lateritium, ut Augusto gratificaretur, quo impellente opus inchoaverat, cujusque vulgare erat dictum, *Romam se relicturum marmoream, quam invenerat lateritiam.* Suetonius (*Aug. cap.* 29.)

In hoc Amphitheatro olim milites exercebantur pugnantes cum bestiis, ut fierent promptiores atque paratiores ad caedes humanas. Hos Ludos Tiberius aliquando transtulit Circejos. Testis Suetonius (*Tiber. cap.* 72.) *Circejos pertendit, ac ne quam suspicionem infirmitatis daret, Castrensibus Ludis non interfuit solum, sed etiam missum in arenam aprum jaculis desuper petiit.*



M E T A
S V D A N S.




Coelio monti ſuccedunt Exquiliae, quae ab eo ſecernuntur via Labicana,& Convalle Quatuor Jugerum. In hac Convalle, ante Arcum Conſtantini & Amphitheatrum Flavium, exſtat *Meta Lateritia*, in cujus vertice olim ſtetiſſe fertur Jovis ſimulacrum. Appellatur haec *Meta ſudans* a Sexto Rufo, & dicuntur aquae ex ea manaſſe, quibus populus ſitim reſtinguebat.


Fuit hic Fons percommodus ſedandae ſiti eorum, qui ludos frequentabant. Superſunt hodieque ejus ruinae. Offerebat ſeſe haec Meta Sudans extra Viam Sacram, fuitque Fons in area, vel emporio Amphitheatri conſtructus, ſive in illius ornamentum, ſive in uſum populi.

Exhibebat ſpeciem *Metae Circenſis*, e cujus faſtigio ſummo exſiliebat aqua, & inferiora ejus irrigabat, unde illi nomen *Sudantis* datum. Ex ruinis vero ejus, & parte reliqua, neque valde magna, & ex lateribus facta, forma ejus vetus facile conjicitur. In ejus quoque medio cernitur cavitas, per quam aqua aſcendebat in faſtigium, ſed brevi forte nihil exinde erit reliquum.

Imaginem hujus Metae, ſeu effigiem exhibet nobis Numiſma vetus, in Dialogo IV. Auguſtini. Sed hic Nummus indicare videtur, conſtructorem & auctorem hujus Metae fuiſſe Titum, ad ornatum Amphitheatri ſui, & illius arenae. Si vero Senecae credimus, exſtitit jam diu ante Titum; nam meminit illius (*Epiſt.* LVI.) ubi refert ſtrepitum & clamores, quos audiebat in aedibus ſuis. *In iis*, inquit, *quae me ſive avocatione circumſtrepunt, eſſedas tranſcurrentes pono, & fabrum inquilinum, & ferrarium vicinum, aut hunc, qui ad Metam Sudantem tubas experitur, & tibias; nec cantat, ſed exclamat.* Non poteſt autem hic locus de alia *Meta Sudante* intelligi. Seneca enim, ut unus ex primi ordinis comitibus Principis, non longe a Palatio probabiliter habuit aedes ſuas. Suſpicatur itaque Nardinus, Metam Sudantem jam fuiſſe ante Titum, eodem in loco; ſed quod a Nerone, aut alio quovis caſu dirutam, reſtituerit Titus.


C. 27





AMPHITHEATRVM

FLAVIVM, vulgo COLOSSAEVM.



AMPHITHEATRVM ingens, vulgo *Colossaeum* appellatum, situm est inter Coelium Montem, & Exquilias. Nomen accepit a *Colosso Neronis*, cujus domus huic Amphitheatro fuit vicina, & in ejus Porticu positus erat hic Colossus, quod & probant aerea ejus Numismata. De hoc Colosso testatur Plinius (*Lib.* XXXIV. *cap.* 7.) *Zenodorus e Gallia Romam accitus est a Nerone, ubi destinatum illius Principis simulacrum Colossum fecit* cx. *pedum longitudine, qui dicatus Soli venerationi est, damnatis sceleribus illius Principis.* Et paullo ante. *Moles excogitatas videmus statuarum, quas Colossos vocant, turribus pares.* Fuit autem hic Colossus Neronis totus factus ex marmore Pario.

Amphitheatrum hoc situm est in medio Urbis, ubi Augustus jam destinarat construere tale aedificium. Est enim hic locus in medio fere septem Urbis collium, a quibus in coronae modum cingitur, licet alius alio sit vicinior. Fuit autem exstructum supra partem Palatii aurei Neronis, quo in loco fuerunt prius stagna Neronis ipsius. Martialis (*de Spectaculis, epigr.* 11.)

Hic ubi conspicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.

Auctor ejus Vespasianus fuit. Testis Suetonius, in ejus vita (*cap.* 9.) *Item Amphitheatrum Urbe media, ut destinasse compererat Augustum.* Dedicavit autem Titus, ut idem Scriptor docet (*cap.* 7.) *Et tamen nemine ante se munificentia minor, Amphitheatro dedicato, thermisque juxta celeriter exstructis, munus apparatissimum, largissimumque dedit.* Videtur autem Suetonius utrique, hoc est, Vespasiano & Tito ejus filio, Amphitheatri constructionem tribuere. Contra Eusebius, exstructionis & dedicationis auctorem unum facit Titum. Cassiodorus item (*Lib.* V. *ep.* 42.) asserit, falso tamen, Titum ipsum hancce primum molem excogitavisse. At vero dubitat nemo, quin Titus, vel inchoaverit, & perfecerit; vel quod genitor ejus jam incoeperat, absolverit: praesertim si quis diligenter cognoverit reliqua aedificia, ab eodem Imperatore in proximo ibidem exstructa.

Videtur tamen Martialis hujus operis constructi auctorem facere Domitianum. Nam ad eum scribens, vocat *Caesareum Amphitheatrum* (*de Spectaculis, epigr.* 1.)

Omnis Caesareo cedat labor Amphitheatro,
Unum prae cunctis fama loquatur opus.

Sed per adulationem forte ita loquitur Martialis, ut recte censent Docti. Constat enim Domitianum nihil praestitisse in hoc Opere faciundo, nisi forte incrustatione ornarit, posueritque signa in Arcubus superioribus. Et solitus erat hic Imperator, si quid ejusmodi praestitisset, suum operibus publicis praeponere nomen, sine mentione veri Conditoris & Auctoris.

Velis interdum tectum fuisse, ex ipsa operis constructione liquet. Nam continuatus paries patentibus identidem fenestris, interque locatis opere composito quadratis columnis distinguitur. His epistylia, atque e zophoro prominentibus crassis mutulis, corona circum attollitur: cujus quia supremi lapides aequalibus spatiis perforati sunt, trajectae quondam, immissaeque antennae demittebantur ad inferiores mutu-

mutulos, ſub foraminibus ad lineam in muro proſtantes. Hunc in modum firmatis trabibus, iiſdemque ſupra fabricae coronam elatis, funes ad ſuſtinenda vela, & inumbrandum circumſedentem populum alligabantur. Fiebat hoc ex vetere inſtituto, ut teſtatur Ovidius (*Lib.* I. *de Arte v.* 102.)

Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro:
Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.
Illic, quas tulerant nemoroſa Palatia, frondes
Simpliciter poſitae; ſcena ſine arte fuit.
In gradibus ſedit populus de ceſpite factis,
Qualibet hirſutas fronde tegente comas.

Ipſa conſperſio ſedilium *Nimbus* appellatur a Martiale, qui ad Agathinum pugilem his verbis ſcribit (*Lib.* IX. *epigr.* 38.)

Lubrica Corycio quamvis ſint pulpita nimbo,
Et rapiant fortes vela negata noti.

Ex quibus teſtimoniis aperte liquet contra aeſtum theatra velorum umbraculis tecta fuiſſe, & ſedilia croco conſperſa.

Forma Amphitheatri hujus interior & exterior tota eſt ovalis, licet alii ſcribant intrinſecus ovalis formae, extrinſecus rotundae fuiſſe: ſed falſa horum comperitur dimenſio. Lapide factum eſt Tiburtino, a parte exteriore; interiora vero lapidibus conſtructa ſunt lateritiis; ornatis hinc inde incruſtationibus marmoreis, ſignis, & ſtatuarum anaglyphicarum ornamentis.

Infimus ordo columnarum Doricus eſt, quarum diametros complectitur palmos Romanos III. cum pollicibus XI. & dimidio. Alter Jonicus, latus Palmos Rom. III. cum pollicib. XI. & dimidio. Tertius Corinthius, latus palm. Rom. III. cum pollicibus XI. & dimidio. Quartus pilis conſtat latis palm. Rom. III. cum pollicibus XI. & dimidio.

In infima ejus parte habuit LXXX. Veſtibula magna, ut commodior eſſet ingreſſus tam ingentis ſpectatorum multitudinis. Altera & tertia item Porticus ſingulae eodem exemplo ſua habuerunt LXXX. veſtibula majora, ut turba ſpectantium aëre frueretur puriore & aperto, ſeu liberiore, in tanta celebritate & frequentia ſpectatorum. Teſtatur autem P. Victor, capax fuiſſe hoc Amphitheatrum hominum ſuis locis commode ſedentium LXXXVII. millium, & ſtantium praeterea XX. millium.

In ſingulis quoque Arcubus ſuperioribus marmoreae poſitae fuerunt ſtatuae, cum incruſtatione, & ſignis, tam intrinſecus, quam extrinſecus. Sed & in quibuſdam locis ornamenta ex gypſo addita fuiſſe, ex reliquiis eorundem ſatis liquet.

In fornicibus ſubterraneis loca erant, ſervandis & alendis feris inſervientia, leonibus puta, tigribus, urſis, tauris, aliiſque.

In Dedicatione Amphitheatri hujus Titus occidiſſe dicitur quinque millia ferarum. Dion (*Lib.* LXVI. *in fin.*) Feſtique dies, hiſce Ludis ſacrati, continuis peragebantur diebus centum: quando erogabantur in populi delectationem decem milliones aureorum.

In medio Amphitheatro ara fuit poſita, in qua ſacrificabatur illi Deo, in cujus honorem ludi fiebant. Joſephus (*Antiq. Jud. Lib.* XXIX. *cap.* I.) *Progreſſus*, inquit, *deinde Imperator* (Cajus) *rem Divinam facit Auguſto Caeſari, ad cujus tum honorem ludi celebrabantur.* Clarius aliquanto poſt. *Tandem irrumpentibus militibus clamor toto Theatro tollitur*, &c. *& circumlata caeſorum cum Aſprenate capita, & in ara depoſita.*

Area Amphitheatri interior dicebatur *Arena*, & inde per metonymiam partis pro toto, *Arena* ipſum vocatur Amphitheatrum; erat enim arena conſperſum & repletum, ut gladiatores & certatores alii ſine periculo caderent; & ut ſanguis illico contegeretur; neve foedo illius aſpectu deterrerentur cum adverſariis & beſtiis rurſus pugnaturi; aut ne minus alacriter certamen inirent; atque etiam ut nudi perunctique pugiles, eo pulvere perfuſi, tanto firmioribus complexibus tenerent adverſarios. Martialis (*Lib.* II. *epigr.* 75.)

Refert Suetonius (*Tito, cap.* 7.) *Titum, edito munere apparatiſſimo, largiſſimoque, dedicaſſe ſuum Amphitheatrum.* Eſt vero *Dedicare*, ſplendidum ac magnificum ſpectaculum exhibere, primo die publici uſus aedificii conſtructi, ex iis nempe exercitiorum generibus, quorum gratia eſt extructum,

ctum, ut in Theatro, dramata sunt; in Amphitheatro autem, paria gladiatorum, venationesque ferarum; in Circo, cursus bigarum, quadrigarumque, & ludi equestres; in Naumachia, Navales pugnae.

Sed & in Amphitheatris, quod mirandum, etiam aliquando exhibebantur Navalia praelia. Amphitheatrum Flavium aquis subito repleri poterat ex vicinis illi Thermis Titi. Dion (*Lib.* LXVI. *prope finem*) *Quum Titus dedicaret, Amphitheatro repente aqua impleto, in ipso equos, taurosque, aliaque mansueta animalia introduxit, quae facere didicerant ea, quae in terra consueverant. Introduxit & homines in navibus.* Sed & ante Titum Nero navalia praelia exhibuisse legitur in Amphitheatris. Testis Dion (*Lib.* LXI. *medio*) *Quum in theatro quodam spectacula praeberet, primum eodem theatro derepente aqua maris expleto, in qua pisces & alia animalia natabant, bellum navale Persarum cum Atheniensibus fecit: deinde subito aquam eduxit, exsiccatoque solo, rursum multos pedites, non modo binos, sed etiam confertos paribus utrinque numeris congredi jussit.* Quin & Domitianus, post Titum, in Theatro edidit navale praelium. Suetonius (*in Domit. cap.* 4.)

Sed & fuit aliquod θεατρικὸν ἀργύριον, hoc est, *theatrale argentum*, quod Charisius Latino vocabulo *extar* appellavit. Romanus populus spectabat ludos coronatus, ad quos omnis aetas & sexus admittebatur. Valerius Maximus autem (*Lib.* II. *cap.* 1.) de institutis Romanorum memoriae prodidit, quae quisque addiderit Theatris & Scenae ad luxuriam.

Porro eadem saepe omnibus in locis sine discrimine peracta fuerunt, quamvis Theatra, Circi, Campique singulares suos ludos haberent, & exercitationes cuique loco accommodatas. Ita in Circo spectati sunt cursores, pugiles, luctatores, gladiatores, confectores ferarum. Regulariter vero destinabantur Circi bigarum, quadrigarumque cursibus, & exhibebantur illic ludi tauriles, & ferarum venationes, & equestria ac pedestria praelia, secundum ea, quae testantur Horatius, Ovidius, Suetonius & Plinius. Et tamen illic quoque introducti leguntur mimi, saltatores, citharoedi, histriones, funambuli, qui in Theatris frequentius conspiciebantur.

Quamvis vero Amphitheatri hujus, ex solidis lapidibus constructi, tanta esset firmitas, & vis, ut Aurelius Victor loquitur (*in Vespasiano*) nihilominus parte sua aliqua incendiis, tempestatibus, aliisque de caussis, saepe fuit corruptum, & poene dirutum, debuitque refici. Sic apud Capitolinum legitur, (*in Antonino Pio, cap.* 8.) *instauratum fuisse Amphitheatrum* ab Antonino Pio: & Lampridius inter Elagabali opera recenset quoque *instaurationem Amphitheatri post exustionem.* Idem scribit de Alexandro (*cap.* 24.) *Lenonum vectigal, & meretricum, & exoletorum in sacrum aerarium inferri vetuit, sed sumptibus publicis ad instaurationem Theatri, Circi, Amphitheatri, & AErarii deputavit.* Ubi hoc nostrum Amphitheatrum intelligi, non est dubium. Nam & Eusebius (*in Chronico, an.* 254.) *Romae*, inquit, *Theatrum incensum Decio Principe: & ante sub Macrino Romae incensum fuit Amphitheatrum, die Circensium Vulcanaliorum.*

Asconius scribit (*in Oratione pro Cornelio, in princ.*) *Initio simulacra, & imagines hominum ex lino facta, foenoque repleta, tauris ad conficiendum fuisse proposita. Postea introducebantur ad depugnandum capitalium criminum rei, captivi in bellis, & qui solvendo non erant.*

Initium usus Ludorum Gladiatoriorum hic fuit. Si quis apud Veteres homo primae dignitatis fato functus esset, aliqui de vita decertare erant soliti in exsequiis illius, quod existimarent, defuncti se futuros in altera vita comites, cui hac ratione probarent dolorem suum, fidemque ultimam. Hoc genus gladiatorum vocabantur *Bustuarii.* Servius (*ad AEn.* X. *v.* 519.)

Hanc pugnam aggressuri exercebantur prius aliquot diebus sub magistro, *Lanista* dicto. Locus ubi exercebantur, *Battualia* appellabatur. Exercebantur autem baculis obtusis, gladiorum in formam factis, quos *Rudis* nomine vocabant. Quidam pugnabant nudi, ense & clypeo: alii toti erant armis tecti: alii item obligatis oculis, qui nominabantur *Andabatae*, hoc est, in equis, obligatis oculis pugnantes: alii *Retiarii* dicebantur, quod reti uterentur contra adversarium; *Mirmillones* hi nominabantur, quod crista galeae referret genus piscis nominis hujus; sed alii rete ipsum hoc nomine vocatum volunt. Interdum soli certabant *Nani*, dicti *Pumiliones*; horum pugna omnium erat acerbissima. Interdum singulari pugna cuilibet cum suo lecto adversario erat certandum, quo devicto libertate donabatur, applaudente populo universo. Interdum catervatim pugnabatur, neque finiebatur certamen, donec una caterva alteram profligasset totam. Merces quae dabatur illis dicebatur *Auctoramentum*; qui hac donabantur *Auctorati*; quique fortibus factis suis libertatem sibi acquisiverant *Exauctorati.* De his omnibus agit Lipsius (*in Saturnalibus.*)

Primis perſecutionum adverſus Chriſtianos temporibus, eorum plurimi committebantur cum feris, iiſdemque objiciebantur, quod ſequens docet Inſcriptio, picta non ſculpta, in parte Coloſſaei verſus Arcum Conſtantini.

AMPHITHEATRVM. FLAVIVM.
NON. TAM. OPERIS. MOLE. ET. ARTIFICIO. AC. VETERVM.
SPECTACVLORVM. MEMORIA.
QVAM. SACRO. INNVMERABILIVM. MARTYRVM.
CRVORE. ILLVSTRE.
VENERABVNDVS. HOSPES INGREDERE.
ET. IN. AVGVSTO. MAGNITVDINIS. ROMANÆ. MONVMENTO.
EXECRATA. CÆSARVM. SÆVITIA.
HEROES. FORTITVDINIS. CHRISTIANÆ.
SVSPICE. ET. EXORA.
ANNO. IVBILÆI. M.DC.LXXV.

Ab altera Coloſſaei parte, qua ſpectat Baſilicam S. Johannis Lateranenſis haec legitur Inſcriptio.

AMPHITHEATRVM. HOC. VVLGO.
COLOSSÆVM.
OB. NERONIS. COLOSSVM. ILLI.
APPOSITVM.
VERIVS. OB. INNVMERABILIVM. SS. MARTYRVM.
IN. EO. CRVCIATORVM. MEMORIAM.
CRVCIS. TROPHÆVM.
ANNO. IVBILÆI. M. DC. LXXV.

Ludi hi ſpectabantur a populo omni, ſedente in lapideis ſedilibus, introrſum in circuitu Amphitheatri conſtructis, quorum ordines erant complures. Primus ordo dicebatur *Orcheſtra*; alter *Quatuordecim*, qui proprius Equitum Romanorum locus erat. Primus ordo continebat ſedilia Imperatoris, domuſque & familiae Caeſareae, eratque hic proximus *Arenae* & in Medio totius molis ovalis, unde omnia optime cognoſci & videri poterant. Hic quoque ſedilia erant ſummorum Magiſtratuum, Cenſorum, Conſulum, Praetorum, AEdilium Curulium, Tribunorum Plebis, Pontificum, ſediliaque Virginum Veſtalium. Vicinus his ſedibus erat locus Legatorum exterorum, obſidum, ac peregrinorum primae dignitatis & auctoritatis. Tum ſequebantur ſedilia Senatorum & Equitum. Ordines vero ſedilium ſupremos occupabant omnium tribuum cives Romani indiſcriminatim. Videatur Lipſius (*in Libro de Amphitheatro.*)

Quum Romae peregrinarer, dimidia fere pars Amphitheatri hujus ab uno latere ſupererat extrinſecus, ſed interiora propemodum penitus viſebantur diruta & corrupta. Qui vero ante hos paucos annos, & modo nuper adflixit Romam terrae motus multis locis perfregit muros molis hujus.

Anno M. D. XXXIV. electus Papa Paulus III. Familiae Farneſianae, conceſſit Michaëli Angelo, ut de lapidibus & parietinis AEdificii hujus tantum lapidum peteret, quantum ſatis erat exſtruendo Palatio Farneſiano. AErarium quoque publicum, per Riarium Cardinalem, conſtructum eſt, ex ruinis hujus Amphitheatri; uti & area S. Marci, a Papa Paulo II. Veneto. Atqui his quidem vaſtationibus accidit, ut ſplendidiſſima hujus ingentis molis ſtructura denudata ſit, & orbata extrinſecus plus quam dimidia parte ornamentorum ſuorum. Multae etiam ſtatuae dimidiatae, ex gypſo factae, hinc fuerunt quoque avectae in Palatium Vaticanum.

In lapidibus parietum exterioribus & interioribus ubique apparent foramina. Suſpicantur haec a Gothis, Vandaliſque, aliiſque hoſtibus, aedificii everſionem molientibus, operi eſſe facta. Donatus vero cenſet; haec foramina a mercatoribus & tabernariis muris Amphitheatri eſſe inflicta, ut in iis ſtipites figerent, quibus alligarent venalia mercimonia ſua jam ab eo tempore, quo Paparum fixa ſedes erat in Palatio S. Johannis Lateranenſis. Eſt enim hoc Amphitheatrum ſitum, in via ad Capitolium ducente, & verſus Baſilicam Lateranenſem S. Johannis, atque idcirco peropportunum, propter Porticus ſuas tectas, vitando Solis aeſtui, imbriumque incommodis.


Montefauconius tamen exiſtimat foramina, quae conſpiciuntur in Coloſſaei extima ſuperficie, eſſe a Gothis omnia, ut ſudes aeneas, colligandi cauſſa poſitas, eximerent. Perforata a mercatoribus inſerendis perticis fuiſſe, ut vult Donatus, mercium exponendarum cauſſa, minus conſiderate dici, cenſet idem; quando in Coloſſaeo ipſo, vel in ſublimiore AEdificii ordine, paria foramina comparent.

Conſpectus autem admirabilis hujus Amphitheatri damus XXII. varietate ſummopere elegantes.

MONS















C. 33















C. 38




















C 44










48





M O N S

TESTACEVS, FIGVLARIS, ſeu DOLIOLVM.



IGVLI Romae pluribus habitabant in locis: neque id mirum cuiquam videbitur, quoniam fictilibus plurimum uterentur priſci, teſte Plinio (*Lib.* XXXV. *cap.* 12.) Siquidem Deorum imagines, & ornatus templorum, & incruſtationes parietum fiebant ex fictilibus, mortuique doliis fictilibus condebantur. Rex idcirco Numa inſtituiſſe dicitur ſeptimum Collegium Figulorum. Plinius (*dicto loco.*) Omnium autem maximum horum Collegiorum fuerat commodiſſime inſtitutum in hac planitie, propter uſum & commoditatem aquarum. Nam & maxima hic conficiebantur vaſa figlina. Quum vero Senatus vetuiſſet, ne artis ejus purgamenta projicerentur in Tiberim, ne ſcilicet repletum iis flumen ſenſim in Urbem reſtagnaret; his Artificibus certus locus aſſignatus eſt, quo deferrentur ea purgamenta. Atque ex his coacervatis ingens paullatim crevit cumulus, quem *Teſtaceum* dixerunt, cujus ambitus complectitur bis fere mille paſſus; altitudo, ubi maxima, eſt pedum CLX.

Eſt vero *Campus Figlinus* planities ampla ad latus Montis Aventini, ubi quondam Equiria fieri ſolebant. Id vero mirandum, unde tanta multitudo fragmentorum teſtarum, vaſorumque fictilium; nec poſſunt Eruditi idoneam adferre cauſſam, ut vult Donatus, cur in unum locum ſint congeſta, & in unum cumulum coacervata. Perpetuum enim apud Antiquos Scriptores hac de re eſt ſilentium. Sunt quidem, qui ſuſpicantur, creviſſe hunc cumulum ex fragmentis urnarum, quae fiebant ad cineres crematorum corporum ſervandos, quarum ingens copia quotidie effoditur, non e vineis ſolum, ſed tota planitie Romana. Nemo tamen dicere queat, cur, aut quando fuerint congeſta in unum locum.

DOLIOLVM etiam vocatur admirabilis ille Mons, fuit autem olim major, quam nunc: ſiquidem Nardinus refert, ſe vidiſſe, ingentem curruum numerum exinde onerari, ut complanarentur viae lutoſae in vicinia.

Tarquinius Priſcus legitur primus eo tranſtuliſſe figulos, quum Circum faceret; quia in propinquo erat flumen, ad avehenda vaſa commodum. Et arbitror, veram denominationem Montis hujus ſatis jam eſſe demonſtratam. Anilis enim fabulae inſtar eſt ducendum, natum hunc Montem ex fractis vaſis figulinis, tributorum nomine advectis; ex provinciis & urbibus devictis.

Hoc igitur unum ſatis jam conſtare exiſtimo: natum eſſe hunc Montem ex congeſtis fragmentis teſtarum a figulis, ingenti numero hic habitantibus, ut tanto commodius opportunitate fluminis uterentur ad avehenda vaſa a ſe facta; & libertate gauderent comportandarum teſtarum in locum, auctoritate Senatus illis conceſſum. Vaſa enim figlina, ut diximus, maximi fuerunt uſus apud antiquos: & in iis ſoliti quoque erant Romani ſervare aquam, vinum, & quidquid erat liquorum, balneis, aliiſque uſibus ſervientium. Facilis itaque hinc conjectura eſt, veroque proxima, longo temporis progreſſu in eam, quam videmus, altitudinem Montem hunc creviſſe.

Eſt & hoc cum maxime memorabile; in cavernis, & cellis Montis hujus, arte fabricatis, quarum aliquae ad centum graduum profunditatem aſſurgunt, ſervari hodie vina generoſiſſima, & optimi ſaporis, ab oenopolis. Hanc vero cauſſam adferunt, quare vinum, his in cellis cuſtoditum, multo ſit frigidius, meliuſque, quam in aliis Urbis locis: quod nimirum tanta non ſit denſitas coacervata teſtarum harumce, ut ventis locus iſte non ſit penetrabilis, frigoribuſque ideo magis expoſitus. Tribus autem quaſi publice conſtitutis vicibus vinarii quotidie vina ſua hinc petunt, & promunt, horis nempe matutinis, meridianis & veſpertinis, utentes vehiculis tectis ſtoreis, ne Solis ardoribus vaſa eorum vinaria ſint expoſita.



M V R I

V R B I S R O M A E.



IN controversia de Urbis Romae magnitudine, & moeniorum prolationibus, hoc primum quaeritur, an, quoties pomoerium sit prolatum, muri etiam ampliores facti sint. Negant hoc Nardinus & Borrichius, caussasque suae negationis adferunt minime dubias.

Pomoerium locus erat tam intra, quam extra Urbis murum, quem antiquitus condendis urbibus augurato consecrabant, neque in eo ullum aedificium fieri patiebantur. Dictum est autem Pomoerium, ut auctor est Varro (Lib.IV. de Ling. Lat.) quasi post moerium: nam quem antiqui moerum *dicebant, nos* murum *dicimus.* Plutarchus (*in Romulo*) idcirco docet; Portas Urbis sacras non fuisse; nam quum Conditores aratro moenia designarent; *Ubi portam*, inquit, *designare visum est, vomere exempto, atque aratro sublato spatium relinquunt. Unde totum habent murum praeter Portas sacrum. Nam eas si ducerent sacras, religiosum esset, necessaria & impura in Urbem recipere, & exportare.* Sic (*l. si quis ff. de Rerum Divis.*) *Si quis violaverit muros, capite punitur. Sicuti si quis transcendat scalis admotis, vel alia qualibet ratione: nam cives Romanos alia, quam per portas, egredi non licet, quum illud hostile & abominandum sit. Nam & Romuli frater Remus occisus traditur ob id, quod murum transcendere voluerit.*

Morem vero condendi urbes Varro fuse exposuit (*Libro citato*) *Oppida*, inquit, *condebant in Latio Etrusco ritu multa, id est, juncteis bubus, tauro, & vacca interiore aratro circumagebant sulcum. Hoc faciebant religionis caussa die auspicato, ut fossa & muro essent munita. Terram unde exsculpserant* fossam *vocabant, & introrsum factum*, murum. *Postea quod fiebat* orbis, urbs; *principium quod erat post Murum* Pomoerium *dictum, ejusque ambitu Auspicia Urbana finiuntur. Cippi pomoerii stant, & circum Ardolam Ardeam, & circum Romam. Quare & oppida, quae prius erant circumdata aratro ab orbe & urbo urbes, & ideo coloniae nostrae ut urbes conduntur, quod intra pomoerium ponuntur.*

Constat igitur Augurum in ea re auctoritatem fuisse desideratam. Docet id haec Inscriptio, apud Gruterum (*pag.* CXCVIII. *num.* 1.)

COLLEGIV
AVGVRVM. AVCTOR
IMP. CAESARE. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. F
DIVI. NERVAE. NEPOTE
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONTIF. MAX. TRIB
POT. V. COS. III. PROCOS
TERMINOS. POMERII
RESTITVENDOS. CVRAVIT

Ostendunt illinc Nardinus & Borrichius, falsam esse sententiam dicentium, quoties muri promovebantur, toties quoque promotum fuisse pomoerium. Verum Romani non ita religiose Hetruscorum superstitioni fuerunt addicti. *Antiquissimum Romuli pomoerium*, ut ait Gellius (*Lib.* XIII. *cap.* 14.) *radicibus Palatini terminabatur.* Protulit id postea Servius Tullius Rex: item L. Cornelius Sulla. Nam pomoerii proferendi jus penes illos erat, qui fines protulissent Imperii. Seneca (*de brevit. vit. cap.* 14.) *Idem narrabat, Sullam ultimum Romanorum protulisse pomoerium, quod numquam Provinciali, sed Italico agro acquisito, mos proferre apud Antiquos fuit.*

Terminabatur autem pomoerium multis lapidibus, prout ex Varrone jam dicimus. Eorum, ut diximus, tutela penes Augures erat. Id ex inscriptione discimus supra jam memorata; ritus autem hac in re adhiberi solitos describit Festus (*in voce Prosimurium*) *Cum*, inquit, *pomoerium proferretur, tum Augures publicos*

cos P. R. haec verba praeire solitos: Dii tutelares, Urbis pomoerium hoc ne minus majusve faxitis, sed iis, quibus terminatum est, regionibus efferatis.

Quoties autem proferebantur pomoeria, non dilatabantur aequaliter, extra omnes moenium partes, sed pro arbitrio proferentis. Sic Aventinus mons, moenibus urbanis ab Anco Martio inclusus, & ab Augusto una ex XIV. Regionibus factus, quibus Urbem divisit, tamen post Sullam & hunc Caesarem extra pomoerium fuit, a Claudio tandem intra Urbem locatus. Testes sunt Aulus Gellius (*dicto loco*) & Tacitus (*An.* XII. *cap.* 23. *&* 24.) qui quidem suo etiam aevo adhuc visos scribit terminos, istius prolationis indices, idque probari potuisse actis publicis.

Atque hac ratione liquet, vanos sibi fingere murorum ambitus, qui prolationem pomoerii colligunt ex magnitudine, murorumque ambitus mutatione. Livius id confirmat, ubi ambitum Urbis a Tullo Hostilio solummodo prolatum refert, & distinguit a *prolatione murorum pomoerii dilatationem*, quam uni Servio Tullio attribuit (*Lib.* I. *cap.* 44.) *Addit*, inquit, *duos colles*, *Quirinalem*, *Viminalemque*; *ac deinceps auget Exquilias*; *aggere*, *&* *fossa*, *&* *muro Urbem circumdat. Item pomoerium profert.* Vox *item* manifestae distinctionis nota est.

Diviserat autem Augustus hanc Urbem in Regiones XIV. quae tamen omnes non continebantur intra Urbis Pomoerium, prout jam ostendimus de Aventino Monte. Et hac quidem de re exstat etiamnunc in Capitolio insignis Inscriptio, apud Gruterum (*pag.* CCXLIX. *num.* 8.)

IMP. CAESARI. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. FIL
DIVI. NERVAE. NEPOTI
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONTIF. MAXIMO
TRIBVNIC. POTESTAT. XX
IMP. II. COS. III. P. P
MAGISTRI. VICORVM. VRBIS
REGIONVM. XIIII

Praeter Tiberium Claudium, qui Montem Aventinum pomoerio inclusit, Gellius & alii dilatatum fuisse pomoerium volunt a Julio Caesare & Augusto, sed quousque, res est incertissima. Et tamen Dionysius scribit: *Murum a Servii Tullii tempore non progressum esse ulterius*, *vetantibus id religionibus.* Aurelianus tamen muros ampliavit, sed pomoerium non dilatavit, teste Vopisco (*cap.* XXI. *in Aureliano.*)

De Muris autem Urbis id compertum apud Nardinum & Borrichium reperi, fuisse nimirum longe minores & angustiores hodiernis. Neque enim Servii murus vel collem Hortulorum, vel Campum Martium, vel amplam circa montem Testaceum planitiem, vel Cestii sepulcrum, vel Tiberinam Insulam, vel Agri Transtiberini tantum, quantum hodie, vel Burgum Vaticanum, sive Civitatem Leoninam, incluserat; quae omnia jam illo ambitu inclusa cernimus, nec extra muros hodiernos porrigebantur usquam. Aurelianus autem murus eundem paene ambitus circuitum habet, & veteribus fundamentis superstructus est, quibus hodiernus, nisi quod & Castrum Praetorium, & Amphitheatri Castrensis extimam partem hodie includit, exclusa olim; & Burgum Vaticanum excludebat, hodie inclusum. Castrum autem Praetorium nonnulli fuisse volunt extra Portam Capenam: sed Panvinius rectius extra Portam Nomentanam ponit, ubi ejus rudera qualiacunque hodieque cernuntur, prope Portam Piam.

Antiqua Roma erat septicollis, hodierna decem quodammodo est collium, namque adhuc complectitur Collem Hortulorum, (hodie dictum *Montem Pincium* & *Montem Trinitatis*) Caeliolum, & Janiculi reliquam partem, quam hodie appellant Montem Vaticanum, ut de Testaceo monte, sive Doliolo, satis grandi, non nativo tamen, sed ex testulis figulorum surgente, jam nihil dicam.

In magnitudine ambitus murorum designanda Auctores tam antiqui, quam hodierni multum inter se discordant. Just. Lipsius, Is. Vossius, & alii immensam paene faciunt Romanam Urbem, & murorum ambitum, vel cum Vopisco credunt, extendisse se ad quinquaginta fere milliaria: Lipsius autem contendit ad viginti tria, Italica suspicor, non horaria, hoc est, mille passuum. Sed Borrichius credit, ampullari more suo Vopiscum, aut subesse mendum, & pro *quinquaginta*, *quindecim* esse legendum.

Vossianam autem rotunditatem circularem falsitatis redarguunt murorum ambitus descriptiones a Nardino, Donato & Borrichio concinnatae. Borrichius negat ulla hodie vestigia ruderum tam prodigiosi

giosi muri usquam in campis Latii apparere; quum etiamnunc Servii murus variis locis evidentibus sese ostendat monumentis. Nam & ex fabrica & vetustate murorum multarumque Portarum, adhuc manentium, facile colligimus, murum Aurelianum vix hodierno fuisse ampliorem. Suburbia quidem Romae longius processerunt, neque tamen ita prodigiose, uti volunt nonnulli Antiquariorum, dicentes, hinc Otriculum, illinc Tibur, istinc Ostiam & mare attigisse. Refelluntur enim vel unius Martialis testimonio, qui (*Lib.* VII. *epigr.* 31.) scribit.

Quidquid villicus Umber, aut colonus,
Aut rus, marmore tertio notatum,
Aut Thusci tibi, Tusculique mittunt,
In tota mihi nascitur Suburra.

Ex quibus verbis Borrichius evidenter confici posse pluribus docet, Suburbium ista parte Urbis vix ultra mille & ducentos passus potuisse ab urbanis moenibus recedere.

Post Aurelianum legimus quidem moenia a Barbaris hinc inde diruta fuisse aliquoties, sed restaurarunt illa Honorius, Theodoricus, Belisarius & Narses; Pontifices item Romani aliquot: non autem ampliarunt; nisi quod Pontifices posteriores aliquid in Transtiberina regione immutarunt & addiderunt.

De Portis Plinii xxxvii. respondet Borrichius, superesse hinc inde in muris portas quasdam clausas, nominis incerti, reliquas vero plane sublatas, multiplici ista murorum restauratione; immo & in Capitolio fuisse plures portas privatas; & in Plinii contextu posse latere aliquod mendum.

Videri possemus absolvisse nostram de Muris & Pomoerio Romanae Urbis tractationem, sed & operae pretium existimamus, ut aliorum quoque audiantur sententiae, in quibusdam a supra dictis dissentientes, & praesertim quomodo & per quos Roma creverit, liquidum fiat.

Livius, Plutarchus, Strabo, aliique docent: Palatium, in quo ipse educatus erat, a Romulo primum munitum; sed & iidem testantur, ante Sabinorum & Tatii adventum Capitolium a Romulo jam munitum fuisse, arce Romana ibidem collocata. Hanc enim Sabini ceperunt, proditione virginis Tarpejae, qui & a Romanis postea inde pelli non potuere. Non tamen Romulus ultra Palatini Montis radices pomoerium protulit. Ne qua vero vis externa Urbem opprimeret, finitimique colles hostium fierent propugnacula & arces, munitos eos fuisse scribit Strabo (*Lib.* V.) neque tamen recepti leguntur intra pomoerium. Sic Livius (*Lib.* I. *cap.* 12.) negat, Urbem ipsam fuisse captam, quum Arx Tarpeja a Sabinis caperetur. *Sed Romanos*, inquit, *cum Sabinis post arcem Tarpejam occupatam pugnantes, hostes usque ad portam Palatii fugarunt.* Et haec certe tunc fuit Porta Urbis Romae.

Ita & Ancus Martius Janiculum muniit, non tamen Urbis pomoeria eousque protulit. Sed & ante eum Tullus Hostilius, tertius a Romulo, Alba eversa, ipsisque Albanis in civitatem receptis, addidit Urbi Coelium montem, quem Romulus primo munierat. Livius (*Lib.* I. *cap.* 30.) *Roma interim crescit Albae ruinis: duplicatur civium numerus. Coelius additur Urbi mons, & quo frequentius habitaretur, eandem sedem Tullus regiam capit.* Strabo in his adversatur Livio, & Ancum Martium muniisse montem Coelium & Aventinum, & jacentem inter hos Campum scribit. Plinius item; *Aventinum & Janiculum montes Urbi addidit.* Loquitur autem de Anco Martio. Quod vero Scriptores tradunt, Ancum Martium Aventinum multitudini concessisse, non idcirco eum intra pomoerium recepisse significat. *Multa enim loca*, inquit Dionysius (*Lib.* III. *cap.* 56.) *circum Urbem extra moenia proximis collibus & vallibus habitata, & praesertim Aventinus.* Sed forte hi Reges aliquando in iis montibus habitarunt, quos alii aedificiis ornarunt, vel pars ab uno, reliquum ab altero Urbi fuit additum.

L. Tarquinius Priscus porro, quamvis imperium populi Romani propagaverit, multis agris ab hostibus captis, vetere tamen contentus, pomoerium non protulit. Urbem autem ultimo imperii sui tempore munire adgressus, saxis magnis ad regulam formatis (prius enim vilibus structuris aedificati fuerant) inchoatum non absolvit opus, morte praeventus. Servius ergo Tullius, successor ejus, & quintus a Romulo, secundum Plinium, Eutropium & Livium, tres colles Urbi addidit, Quirinalem, Viminalem & Exquilias, adduntque, aggeres & fossas fecisse. Muros autem, a Tarquinio Prisco coeptos, perfecit ipse ingenti quadrato saxo, Gabino, Albano, Tiburtino & Praenestino, ignique impervios praestitit. Et, teste Borrichio, cernuntur adhuc muri ad xx. passus ex saxis quadratis surgentes, sed quae prae vetustate tophis jam arenaceis similiora in pulverem se redigi patiuntur, & ex Servii aevo manere se adhuc

 tacite

tacite significant. Alibi rursus conspiciuntur capitella murorum, ex solido marmore constructa, in argumentum aevi posterioris, sed potentioris. Quae supersunt, secula infelicia indicant, utpote facta perfunctorie e latere cocto, hinc inde consarcinato.

Servius ergo Tullius muro lapideo sex colles complexus, Urbem primus divisit in quatuor Tribus urbanas, Palatinam, Suburranam, Exquilinam & Collinam. Is enim primus post Romulum pomoerium dilatavit. Tarquinius denique Superbus, Latinorum, caeterorumque hostium incursiones, quibus Urbs ipsa occupari poterat, veritus, Urbem ab oriente ingenti aggere munivit. Plinius (*Lib.* III. *cap.* 5.) *Clauditur Urbs ab oriente aggere Tarquinii Superbi, inter prima opere mirabili: namque eum muris aequavit, qua maxime patebat aditu plano; cetero munita erat praecelsis muris, aut abruptis montibus.* Et sane aggeres isti, teste Panvinio, adhuc visuntur parum ultra Thermas Diocletiani, porrecti ab eo loco, usque ad Arcum fere Gallieni.

Donati haec est sententia. Romam hodiernam ad veterem referendo, optime apparere, quomodo septem montes pomoerio concluderet. Nam Aventinus, deficiens ad Portam Trigeminam, planiciem, ubi navalia fuerunt, circumjacentem habet. Coelius in muris ipsis definit. Exquilinus aut interjecto Campo longe a pomoerio finitur, aut certe in planiciem cum Viminali excurrit, qua parte ductus est Agger Tarquinii, qui plana collis terminabat, hodieque terminat. A Porta Collina deinde murus latiori circuitu descendit in Martium Campum, qui sub Regibus per praerupta Montis Quirinalis recta ducebatur in vallem, ubi Columna Trajani est, unde pergebat in summum Capitolium; a Rupe vero Capitolina, ante Ciceronem, per Forum, nunc Montanarium, tendebat ad Tiberim.

Supersunt veteres Transtiberini muri: eos Donatus censet maxima ex parte adhuc superstites, nec contractiores, nec ampliores esse veteribus. Incipiunt illi non longe a Porta Portuensi vetere, cujus Inscriptio antiqua, ab Imperatoribus Arcadio & Honorio posita, apud Gruterum legitur, & a nobis suo loco est descripta. Hinc parte eorum diruta, propter recentiores munitiones, porriguntur ad Portam Janiculensem, atque per Portam Septimianam ad usque Tiberim rursus extenduntur, & finiuntur.

Ergo post Aurelianum Arcadius & Honorius Imperatores restaurarunt muros veteres, non ampliarunt. Deinde qua murus per acclivitatem Janiculi ad Portam S. Pancratii, & jugum Collis evadit, indeque flexus ad Portam Septimianam, Tiberimque descendit, dicendus est eosdem habere fines, quos illi Rex olim Ancus imposuit, ut ex Livio, Dionysio & Procopio recte colligitur.

Haec ergo est Donati sententia, murorum ambitum ante Aurelianum multo fuisse minorem illo, quem hodie videmus. Post Aurelianum & Constantinum, aut idem fuit, aut alicubi parum differens. Etsi enim moenia saepius diruta & collapsa sunt, iisdem tamen prope vestigiis ac fundamentis fuerunt superstructa; ita ut idem fere terrae spatium Roma insederit, in maxima sua amplitudine. Et hujus quoque sententiae fuerunt Marlianus ac Blondus. Marlianus enim (*Lib.* I. *cap.* 8.) ait: *Credimus super fundamentis priscis muros nunc exsistentes exstructos fuisse.* Blondus autem (*initio Romae Restauratae*) *Quamquam*, inquit, *muri partim collapsi & corrosi sint, partim ruinam multis in locis minentur; in ipso tamen remanent prisco vestigio veteris fundamenti.* Aurelianum autem muris validioribus & laxioribus Urbem sepsisse, testis est Eutropius (*Lib.* IX.) Zosimus autem dicit; eos ab Aureliano quidem inchoatos, sed ab ejus successore perfectos fuisse (*Lib.* I.) Panvinius hinc ergo colligit; Aurelianum Urbis moenia a Porta Collina per Collem Hortulorum, usque ad Tiberim, ut nunc visuntur, Campumque Martium deduxisse. Sed quod Vopiscus dicere videtur; Aurelianum muros Urbis ampliasse, ut quinquaginta prope millia passuum eorum ambitus teneret, ingenue fatetur se ignorare.

Ad Nardini sententiam nunc venimus. Is in eo Donato adversatur, ut credat; Transtiberina loca & Janiculum ingenti murorum ambitu olim Urbi fuisse connexa, eo solo muniendi intermisso spatio, quod interfluens ad transitum Tiberis occupabat, qui quum nullus ripas murus impediret, libere hinc inde pontibus transibatur, ita ut utraque ripa intra moenia inclusa fuerit. Livius (*Lib.* I. *cap.* 33.) *Janiculum quoque adjectum* (loquitur de Anco Martio, uti ante dixerat) *Coelius additur Urbi mons*, quem ubi muro cinctum narravit, pergit: *id non muro solum, sed & ob commoditatem itineris Ponte Sublicio, tum primum in Tiberim facto, conjungi Urbi placuit.* At in moenibus a Servio Tullio conditis majorem adhibere diligentiam voluit Nardinus, longa & accurata probatione sententiae suae, quae huc redit: ore pleno affirmari posse, nullam, medio inter Servium Tullium & Aurelianum tempore, factam mutationem situs moenium, quamquam ultra pomoerium in immensum quantum spatium aedificationem prolatam non negat; neque tamen, aut Augusti aevo, aut Vespasiani moenia Urbis prolata fuerunt. Affirmat

mat quoque; nihil se aut legisse, aut vidisse in testimoniis Scriptorum Veterum, usque ad Aurelianum Principem, quod sententiae huic vere sit contrarium. Colligit igitur sufficere ea posse, quae ab auguriis petuntur, murorum prolationem vetantibus, ad quae, praeter Dionysium, Cicero quoque alludere videtur in iis, quae (*Epist.* XXXIII. *Lib.* XIII. *ad Atticum*) refert, de mentione facta, Campum Martium moenibus includendi. Censet porro, abunde magnum, validumque in muris non factae mutationis argumentum esse; quod de re tam memorabili ne minimum quidem apud quemquam Scriptorum Veterum ullum omnino verbum, vel indicium, aut vestigium reperiatur. Roma enim longe lateque extra muros habitata, imperiique magnitudine, & ingenti amplitudine sua nixa, veluti gentium domina, ab incursionibus tuta securaque, murorum nullam postea habuit curam; donec triginta sub Gallieno exortis tyrannis, Aurelianum ea subiit cogitatio; prospiciendum Urbis securitati, muroque universam includendam esse, firmandamque.

Addatur his denique accurata ambitus murorum descriptio a Panvinio concinnata: Hic enim ambitum murorum Urbis a Tarquinio Superbo hunc fuisse existimat. Muri haud longe a Ponte, qui nunc dicitur Sixti, versus Farnesiorum palatium inchoabant, ex adverso murorum ab Anco Martio Rege in Transtiberina regione structorum, & Porta, quae nunc Septimiana dicitur, qui per mediam Urbem planam, circa Campos Florae, Agonalemque, & Pantheum, usque ad Quirinalis radices, ea parte, in qua Cardinalis Carpensis horti sunt collocati, protendebantur, gyrabantque paullo ultra thermas Diocletiani, & circa Basilicam S. Mariae Majoris, secundum ipsos Tarquinii aggeres, prope Arcum Gallieni, AEdiculam S. Matthaei, & Basilicam Lateranensem: hinc per dorsum Coelii Montis paullo ultra formas Aquae Claudiae, prope Templum Sancti Stephani in Coelio Monte, & S. Mariae in Navicula, Piscinam publicam, Thermasque Antoninianas; usque ad Circum Maximum ducebantur, eorumque finis erat haud longe ultra Pontem Sublicium, e regione murorum trans Tiberim, qua navalia sunt, positorum. Transtiberinae vero regionis moenia ab Anco Martio condita adhuc visuntur, quae etsi saepius restituta fuisse credibile est, paullo tamen ab antiquis sedibus mutata esse, constat. Atque hic, vel non multo diversus fuit Urbis ambitus, extremis Regum, & primis Reipub. temporibus. Martium vero Campum, cum Borrichio, Nardino, & aliis, Aureliani demum temporibus Urbi additum fuisse Panvinius respondet, quum sub Severo Imperatore, ut est apud Herodianum (*Lib.* IV. *cap.* 2.) adhuc extra Urbem fuerit. Itaque, inquit Panvinius, noster murorum ambitus aliquot locis antiquo major, aliquot vero minor, aliquot autem antiquis in fundamentis situs credi possit. Hanc enim sententiam confirmant variae atque diversae murorum species, quibus conditi sunt. Alicubi enim opere reticulato, alicubi lapidibus quadratis, alicubi lateritia struc, alicubi muro arcuato, alibi alia ratione fabricati videntur.

Proderit, hanc tractationem finire brevi Epilogo ultimarum restaurationum murorum Urbis post Aurelianum. Imperator Constantinus, Castro Praetorio exciso, ea parte Urbis ambitum ampliorem fecit. Imperatores autem Arcadius & Honorius muros Urbis vetustate corruptos restituerunt. Senatus etiam Populusque Romanus Urbis moenia, temporum injuria collabentia, ex auctoritate Regis Italiae Theodorici refecit. Belisarius sub Imp. Justiniano Augusto tertiam murorum Urbis partem, bello Gothico a Totila Rege disjectam, refecit. Narses Urbis moenia, vetustate & ruinis quassata, sub Justiniano & Justino Juniore Augustis, quorum in Italia, exactis Gothis, Praefectus fuit, firmavit. Gregorius II. & Hadrianus I. Pontifices Maximi, muros Urbis, temporis diuturnitate consumptos, additis turribus, restituerunt. Leo Papa IV. moenia Urbis refecit, turres addidit; Vaticanum Montem, in quo sita est Basilica Principis Apostolorum, aucto murorum ambitu, cinxit. Quos postea temporis injuria collabentes variis temporibus restituerunt Pontifices Maximi Urbanus V. & Nicolaus IV. Martinus V. Nicolaus V. Pius II. Paulus II. & Sixtus IV. Paulus III. novum murorum Urbis ambitum inchoavit, quem imperfectum reliquit. Paulus item IV. additis tota Urbe aggeribus terreisque propugnaculis Romam munivit. Bonifacius IX. primus, Mole Hadriani munita, Romanorum Pontificum potestatem stabilivit. Hanc postea Alexander VI. additis fossa, aggeribus, latioribusque propugnaculis, tutiorem reddidit. Postremo Paulus IV. additis amplioribus propugnaculis, tutissimum Urbis munimentum fecit.

De hodiernorum murorum Urbis ambitu jam in Praefatione monui, memet ipsum pedestri itinere circuitum murorum fuisse emensum ab utraque Tiberis ripa, atque comperisse complecti majora milliaria horaria quinque, quae conficiunt passuum viginti millia.

Obſervandum tamen, ut dixi, in primis erit; Urbem ab adverſa Tiberis parte, ubi Baſilica eſt S. Petri, multum a Pontificibus eſſe amplificatam & auctam, munimentiſque inſtructam ad rationem hodiernae artis militaris. Non autem ſatis potui cognoſcere, aut certo ſcire; quantum hoc incrementum Urbis ab ea parte majus ſit muris vetuſtis, quoniam perpauca ex muris antiquis ſuperſunt rudera, caeteris dirutis, ac vaſtatis.

FINIS TOMI TERTII.

INDEX EFFIGIERUM,

Ut Operi inserantur e regione Titulorum a Bibliopego.

Effigies tertii Tomi omnes Notam habent Lit. *c*

TOMUS III.

